


~~67-5~~ C. 23=L. 39=8

95=6

48-9


16



2.400.40



3



*Handwritten signature and scribbles*

Q10414

HISTORIA  
COMPENDIOSA AC SVCCINCTA  
SERENISSIMORVM  
DANIÆ REGVM:


*Ab incerto auctore conscripta; nunc vero  
vsque ad CHRISTIANVM III. de-  
ducta, primumque in lucem edita,*

opera & studio

ERPOLDI LINDENBRVCH.



LUGDVNI BATAVORVM,  
EX OFFICINA PLANTINIANA,  
Apud Franciscum Raphelengium.  
CL. IS. XCV.




*Serenissimo potentissimoque*

PRINCIPI

CHRISTIANO IIII.

Daniæ, Norwegiæ, Gothorum, Wandalarumque Regi, Duci Holfatiæ, Stormariæ, & Dithmarschiæ; Comiti in Oldenborg & Delmenhorst &c.

*Domino suo clementissimo S.*

ERIE M Regum, quibus florentissimum hoc regnum per totiiugos iam annos stetit, & in quo V. Serenitas locum centesimum septimum legitime obtinet, compendioſo sermone ita concinnatam, vt antecessorum vestrorum ætates & res præclare gestas, non tam legere, quam numerare videamini, Celsitudini V. deuote offerre placuit. Antecessores enim tuos, Rex Clementissime, ita vno quasi oculorum ictu perlustrans, nescio quo pacto, quamuis sponte, animo tuo sic à natura informato, ad summas virtutes contendas, & excellentissimæ indolis præclara specimina  
\* 2           quotidie

quotidie edas, maiori tamen æmulatione incitaberis *prisca titulos precedere fama*. Sic de C. Iulio Cæsare (ne de aliis interim dicam) legimus, quamuis & is sponte sua non nisi ad summa contenderet, tamen cum imaginem & titulum Alexandri, cui ex rebus actis & auctis cognomentum Magno indidit antiquitas, vidisset, ita animo incensum, vt spretis repudiatisque quos gerebat honoribus, statim maiora animo moliri cæperit, eaque gesserit, quæ nulla vis, nulla potentia efficere potest, quin vigeant, floreatque perpetim. Ergo igitur hoc placido vultu accipe munusculum, quod etsi exiguum ac perquam pusillum, tamen vt spero & opto utilitates suas habebit; nec tu id propterea respues. Nam *in Oceanum riuus cecidere minores*. Verum ne prologus, quod dicitur, sit fabula longior, abrum-  
pam. Deus Opt. Max. auctor & stator  
CHRISTIANI NOMINIS, Serenitatem V. in  
statione ista quam temperatis, diutissime  
seruet. Hamburgi VI. Idus Oct. ∞ 10. XCV.

*Maiestati T. deuotissimus*

ERPOLDVS LINDENBRVCH.

HISTO.

# HISTORIA COMPENDIOSA ET SVCCINCTA

*Serenissimorum Dania Regum.*

DAN.



RIMVS Danorum Rex Dan est appellatus, à quo etiam regnum appellationem est sortitum. Ideoque Dania ex primo Rege Dan nuncupatur. Hic ex vxore Gritha, summæ inter Teutonnes dignitatis matrona, genuit duos filios, Humblum & Lotherum.

HVMBLVS.

Secundus Rex HVMBLVS, Lotheri fratris Tyrannide consternatus, contempto Regni diademate, è Rege priuatus est factus. Nam in bello à fratre captus regni depositione vitam mercatus est.

LOTHERVS.

Tertius Rex LOTHERVS Humbli frater, hic ex Rege Tyrannus factus, omnique nobilitatis extingtor, ab eisdem occiditur à quibus fuerat regno donatus.

SKIOLDVS.

SKIOLDVS quartus Rex Lotheri filius, natu-

A

ram



ram à patre, non mores sortitus est, & factus insignis patriæ amator, atque egregius iustitiæ cultor. Si quidem impias leges abrogavit, salutare tulit. Qui cum speciosissimam puellam ex Teutonibus singulari certamine meruisset, interfecto Scato satrapa eiusdem competitore, ex eadem genuit filium Gram, ac tandem morte naturali periit.

## G R A M:

v Quintus Rex GRAM Skioldi filius, qui post gloriosas victorias & egregia facinora, à filio suo Suigdàgero primo è Norwegia pulsus, deinde in Dania occisus est, substituto in Regem filio suo Guttormo, quem sibi tributarium fecit Suigdagerus.

## G V T T O R M V S.

vi Sextus Rex fuit GUTTORMVS filius Gram, qui fratri suo Suigdàgero apud Noruagienses & Suecos regnanti Tributarius fuit, breuique tempore regnans mortuus est.

## S V I G D A G E R V S.

vii Septimus Rex fuit SVIGDAGERVS, qui accepto post fratris cineres regno paterno, ab altero fratre nomine Hadingo viro fortissimo in ultionem paterni sanguinis est apud Gutlandiam nauali bello peremptus.

HA-

## H A D I N G V S.

Octauus Rex HADINGVS fuit, tertius filius Gram. Iste Hadingus post interemptum fratrem parricidam, ac multas generosas victorias, suspendio se vulgo inspectante extinxit, vt parem gratiam referret Hundingo Suecorum regi, cui extincto promiserat se non superuicturum.

## F R O T O Geffemild.

ix Nonus rex Hadingi filius FROTO Geffmild id est, liberalis cognominatus. Iste Froto cum multa liberalitate factus esset insignis, multaque victoriis gloriosus, aduersus regem Suetiae pugnans in bello finiuit vitam.

## H A L D A N V S.

x Rex HALDANVS Frotonis filius, duorum fratrum suorum factus est infamis interfector, diuq. regnans in vltima senectute mortuus est.

## R O E.

xi Rex ROE primus Haldani filius, qui pacem magis quam arma doctus, studuit magis ornare acceptam ditionem, quam illius fines propagare. Destructo igitur oppido Hogekoburg, edificauit in Selandia Roschildiam ciuitatem, nomen illi imponens ex suo nomine Roe & famatissimi eius vrbis fontis, qui lingua vernacula Kylde dicitur. Hic postquam diu regnasset, ab

4  
set, ab Haluardo Suecorum rege interfectus occubuit.

## HELGO.

XII Rex HELGO Roe frater, qui post multas victorias, quibus triumphauerat aduersus Scalcum Wandalia regem, atque filium ducis Saxonia, quem interfecit, etiam occidit regem Suecia Haluardum fratris sui Roe interfectorem. Porro cum illi exploratum esset, quod cum propria dormisset filia, nimio pudore confusus seipsum perdidit, propriis manibus sibi mortem inferens.

## ROLVO.

XIII Rex ROLVO nuncupatus liberalissimus extitit, cui Suecia fuit multis annis tributaria. Hic à genero suo Hiartuaro Sueconum rege perfidissimo per dolum in arce Letra interfectus est.

## HIARTVARVS.

XIIII HIARTVARVS rex decimus quartus, eodem die quo dolose Roluonem regem occiderat, occiditur & ipse à Viggone milite Roluonis Regis fidelissimo.

## HOTTERVS.

XV Rex HOTTERVS, qui post Hiartuarum sumpto vtriusque imperio gloriose regnauit, factus etiam gigantum & falforum deorum victor insignis. Iste Hotterus erat multis egregiis

5  
giis artibus instructus, praecipue vero adeo callebat omne Musicorum genus, vt gaudio, mœstitia, miseratione, vel odio mortales afficere nouerat. tandem interfectus perit.

## BALDERVS.

Rex BALDERVS à stultis hominibus etiam Deus creditus. Is postea ab Othino rege interfitur in sinu quodam, qui in hodiernum diem à praedicto Baldero dicitur Balderflut.

## OTHINVS.

Rex OTHINVS, qui ob artes magicas, quas callebat & exercuit, diuinas laudes à barbaro & stulto populo promeruit: Cuius nomine etiam vnum hebdomadae diem insigniuit, qui tandem in Pheonia occiditur, & sepelitur iuxta amnem quendam, vbi Othonia ciuitas, ab eodem Othino appellata, sita est.

## RORICIVS.

Rex RORICIVS, Slingenbond appellatus, Othini filius, regnauit inglorius, deficientibus ab eo Suecis & Germanis, qui patris paruerant imperio, morteque naturali defunctus est.

## HORVENDILLVS.

Rex HORVENDILLVS à Gutis in regem electus, postea à Feggone fratre suo occiditur, etiam cum raptu vxoris eiusdem.

## FEGGO.

xx Rex FEGGO, à quo Feggfund in Iutia nuncupatur. Ilte Feggo in vltionem fraterni sanguinis, ab Amletho Horuendilli filio in ciuitate Wibergensi occiditur.

## AMLETHVS.

xxi Rex AMLETHVS Horuendilli interfecti à Feggone patruo suo filius, qui tamdiu prudenter dissimulauit insaniam, donec vltus esset in patruo paternam necem, interfectus & ipse à Wigleto Tyranno vitrico suo, regni cōpetitore.

## WIGLETVS.

xxii Rex WIGLETVS Tyrannus, Amlethi victor & interfector. Hunc Wigletū, habentem regni moderationem tranquillam & diutinam, morbus consumpsit.

## WERMVNDVS.

xxiii Rex WERMVNDVS Wigleti filius. Is post diutinum regimen & interfectum Suecorum regem, ob senium & cæcitatem à Saxonibus contemptus est, quem contemptum egregie vltus est Wffo filius eius, iam ex dissimulato muto ac stulto factus non solum vir facundus, sed etiam fortissimus. Solus enim pugnans aduersus gigantes duos, vtrumq. peremit, adempto Danis probro, quo exprobrati sunt à Suecis, quod

quod illorum regem solum offensum interfe-  
cerunt gigantes Dani duo.

## WFFO.

Rex WFFO Wermundi filius, etiam Olauus xxiiii mansuetus à quibusdam dictus. Huius præclara gesta ob scriptorum inopiam solemnem fefelleret notitiam, quæ creduntur gloriosa fuisse, quorum principia tam plena laudis fuerunt.

## DAN II.

Rex DAN Wffonis filius, nimirum inglorius filius gloriosissimi patris. Sic interdum (ait Saxo) pignora portentis similia à maioribus suis desciscunt. Omnia enim paterna bona & quæ ipse ex hostibus parta habebat, quæ regio splendori seruire debuerant, in flagitiis ac turpitudine consumpsit.

## HVGLTVS.

Rex HVGLTVS, qui Homothum & Hogri- xxvii nium duos Suetiæ Tyrannos maritimo fertur oppressisse conflictu.

## FROTHO II.

Rex FROTHO vegetus Hindsterke, qui cum xxviii factus esset gloriosus: cæde decem fortissimorum ducum in Norwegia, tandem regem Norwegiæ Frogerum singulari certamine peremit.

DAN

## DAN III.

xxviii Rex DAN Frothonis filius egregiam retulit victoriam de rebellantibus Saxonibus, unde eosdem sibi fecit tributarios, qui illum habere tributarium contendebant.

## FRIDLEVVS.

xxix Rex FRIDLEVVS cognomento Celer. Iste fertur regnasse tempore Iulij Cæsaris, cum quo etiam dicitur fædus pepigisse. Reverso Iulio nec audente eum Fridleuo pugnare ob publicam famam, quæ tum narrabat apud Danos esse viros fortissimos.

## FROTHO, Fredegoed.

xxx Rex FROTHO cognomento pacis auctor, Fridleui filius designatus rex sub prouidentia curatorum, cum esset iam septem annorum. Igitur principio regni eius gubernatoribus male agentibus, tanta erat vitæ licentia, ut nec legibus, nec pudore cohiberetur obscena aulicorum petulantia. Verum adulto rege Frothone, mutatae sunt vices rerum: euasit enim regnum ipsius non solum diuitiis, æquitate & legibus, gloriosum, sed etiam in incredibilibus quibusdam victoriis clarissimum. Cuius memoria etiam nunc celebris est, tametsi apparet ipsum regnasse ante quindecim secula: Nimirum eo tempore, quo in Betlehem Iudææ ex virgine  
matre

matre natus sit Dei filius, homo factus.

## HIARNERVS.

Rex HIARNERVS, qui cum esset obscuris parentibus natus, suffragiis tamen populi diadema regni promeruit, tanquam ornati sepulchri ipsius Frothonis. Nam Frothonis sepulchrum grandi saxo inscripto Epitaphio ornauit: ob quod regno ab incolis donatus est, qui paulo post à Fridleuo Frothonis filio, Ruthenorum rege est interfectus.

## FRIDLEVVS II.

Rex FRIDLEVVS Frotonis filius, hic cum regnaret apud Ruthenos, audita patris sui morte, primum succurrit præfecto Succorum aduersus duodecim gigantes Norwegiæ; quibus interfectis, præter vnum Biornonem, in Daniam profectus est. Cuius aduentum audientes Dani, quem vano rumore mortuum credebant, iubent Hiarnorum regno cedere. Iste Fridleuus rex factus, interfecit Asmundum Norwegiæ regem, ac paulo post naturali morte defungitur, relicto ex Frogertha vxore filio Frothone, cognomento Largo.

## FROTHO III.

Rex FROTHO Fridleui filius, cognomento Largus, huius principatus multi gigantes parebant, inter quos præcipuus erat Starcatherus, multorum gigantum peremptor, atque mira-

B bilium



bilium rerum effector. Igitur cum hic Frotho gloriosissimum habuisset regnum multis annis, à Sueringo quodam Saxonie regulo dolo se ad conuiuium vocatus, occiditur, vicissim occiso Sueringo. Sueringi enim scelus amborum interitus fuit.

### INGELLVS.

xxxiiii

Rex INGELLVS Frothonis filius, sed tanto patre prorsus indignus, quia luxu, libidine, & crapula adeo perditus erat, ut euaserit omnium ignauissimus. Adeo ne cogitauit de patris dolosa morte vlci scēda, ut filiam Sueringi patris interfectoris vxorem duceret. Cuius consuetudine tam mollis & deliciosus effectus, ut omnem auorum suorum gloriam prorsus obscurauit. Tandem Starcatheri exprobrationibus prouocatus, occidit in vltionem paternae cedis septem Sueringi filios, quos secum habebat in gratiam vxoris quotidianos conuiuas. Periit autem rex iste naturali morbo in Lothra sede regali, iuxta quam sepultus legitur.

### OLAVS.

xxxv

Rex OLAVS quartus Ingelli filius. Hic cum multis annis regnauit, nullam laudem tamen apud posteros promeruit. sub finem vitæ nihilominus prudenter duobus filiis diuisit regnum & imperium, Haraldo maris imperium, Frothoni vero terræ regnum tribuens.

HARAL-

### HARALDVS I.

Rex HARALDVS Olai filius, cui maris con-  
tigit imperium, à fratre Frothone dolo occiditur, ut solus regno potiretur.

### FROTHO VI.

Rex FROTHO Haraldis frater, qui nullo fac-  
nore clarus, etiam conatus est Haraldis filios extinguere, ne vllus esset parricidij vltor, qui tamen magno artificio suorum curatorum seruati sunt, donec adoleuissent: adulti vero facti, cum regiam Frothonis subiectam vndiq. igne incendiissent, Frotho fugiens ad opacos quosdam recessus, dudum constructos, vapore & fumo strangulatus interit.

### HALDANVS I.

Rex HALDANVS Haraldis filius, & patruus sui  
Frothonis interfector. Hic cum tribus annis regnasset, relicto regno fratri suo Haraldo, Sueciam inuasit, vicit & occupauit. Ericus rex Sueciae occupaturus Daniam tribus preliis victus est ab Haraldo Haldani fratre. Quarto vero prelio victor effectus Haraldum occidit. Sed ab Haldano postea victus & interfectus, vita simul & regno priuatus est. Erat hic Haldanus corpore adeo robustus, ut claua immensae magnitudinis ferro vndique circumsepta in bello vteretur, qua multos aliorum regum gigantes occidit.

occidit. Ab hoc Haldano, qui ex inclyta matrona Thorilda genuit Asimundum Norwegiæ regem, omnes postea Norwegiæ reges magni æstimantur duxisse originem, ad eundem suam genealogiam referentes.

### HVGVINVS.

xxxix Rex HVGVINVS Haldani nepos, cui regias opes testamento legauit, regemque constituit. Sic Huguinus postea ab æmulo, cui Regnaldo nomen erat, bello oppressus erat & peremptus, vnico filio Syualdo relicto.

### SYVALDVS I.

xl

Rex SYVALDVS, cui filia erat Syritha, puella non solum speciosa valde, sed omnium illius seculi puellarum pudicissima, quæ nupta cuidam Otharo viro fortissimo, attulit patriæ magnum libertatis præsidium. Syualdus igitur pugnans aduersus Regnaldum, patris sui interfectorem, perpetuum triduum, Othari generi sui fortitudine victor euasit. Otharus enim interfecto Regnaldo in fugam conuertit gigantes plures quam quadraginta, inter quos erat Starchaterus, qui semper contempta quauis sæuitia, fuerat omnibus periculis maior.

### SYGARVS.

xli

Rex SYGARVS succedit patri suo Syualdo. Hic habens filiã Signe nomine, cuius stuprum ab Hag-

ab Hagberto proco perpetratum, peperit patri interitum. Nam vt rex Hagbartum ob filiæ stuprum laqueo perdidit, ita vicissim ab Haquino, Hagbarti fratre, peremptus occubuit.

### SYVALDVS II.

Rex SYVALDVS post fratrem Sygarum. xlii Huius temporibus pugnatum est tam acriter aduersus patris sui peremptorem Haconem, vt ex regio sanguine, ne vnus quidem remaneret, præter solam Iuritham Alfi filiam, Sygarique neptem. Videntes igitur Dani regium semen defecisse, regnum popularibus tradunt, creatis ex plebe principibus. Ostmarus præficitur Scaniæ, Hundingus Sielandiæ, Hano Pheoniæ, Roricus Aquilonari Iutiæ, & Halterus Australi. Interea Gumarus rex Suetiæ interfecto Regnaldo rege Normannorum, Drolam Regnaldi filiam rapuit, quæ ab eodem stuprum capere coacta, filium procreat Hildigerum, crudelitate patre maiorem. Verum paulo post Borcarus quidam, occiso Gumaro, eandem Drolam sibi connubio sociat, ex qua Haldanum illum fortem Iurithæ procum genuit.

### HALDANVS III. Haldanhinsterke.

Rex HALDANVS cognomento fortis, qui xliiii multis victoriis gloriosus euasit, Iurithamque acceptam sororem, interfectis duodecim gigantibus Iurithæ custodibus, occiso etiam

B 3

sponso



sponso eiusdem primo die nuptiarum, ex qua postquam genuit Haraldum Hulletandt, a Weseto pugile Sielandico interfectus est.

### HARALDVS Hulletandt.

XLIII Rex HARALDVS Hulletandt patri suo Haldano successit, qui mox interfecto Weseto patris sui peremptore, adeo auxit Gotorum imperium, ut omnia Occidentis regna, usque ad mare mediterraneum illi subiecerit. Unde ab aliis scriptoribus vocatur Alaricus, qui tempore Valentis Imperatoris dicitur vastasse vniuersam Italiam, adeoque Romam ipsam fugientibus tamen ad Basilicas Apostolorum, morte iussit esse parcendum. Nocturna visione admonitus de apparitionibus sibi Apostolis Petro & Paulo eoculto, quo ad illum venerat Romanus Pontifex pro vibe legatus, ad procurandam pacem. Verisimilius est tamen hunc Alaricum non fuisse verum Gotorum regem, sed vice-regem tantum, quales multi tunc erant, sed omnes parentes Haraldi imperio, qui erat rex Gotorum principalis. Iste Haraldus viribus potentissimus, multisque regnis diues, pugnans aduersus Ringonem nepotem suum rebellantem, quem regno Sueonu præfecerat, interfectus occubuit.

### RINGO.

XLV Rex RINGO Haraldi nepos. Sed breuitem-pore regnans Schania Suecorum regno applicata,

cata, puellam quandam nomine Hetham præfecit Sielandiæ, ac cæteris regni Daniæ prouinciis. Hic Suecis dicitur Haquinus Ring, qui victo Haraldo, Schaniæ præfecit quendam virum fortissimum, Olonem nomine. Hetha puella fortissima regnavit in Sielandia, Pheonia & Iutia, nomine regis 46. Verum Sielandenses probrosum rati parere famineis legibus, Olonem, quem Haquinus Ring Schaniæ præfecerat, regem postulant. Iutiæ ytriusque ergo principatum tenuit Hetha, sub tributo tamen seruiens Oloni.

### OLO.

XLVI Rex OLO tantam exercuit tyrannidem, ut superior reginæ & puellæ contemptus cunctis pænitentiam pareret. aduersus quem cum duodecim duces conspirassent, destituti viribus & ingenio, Starchatherum pecunia asciscunt, qui acceptis centum vigintique auri libris, Tyrannum balneis utentem, adeoque inermem confecit. Huic Oloni tanta erat oculorum acies, ut solo visu terrefaceret etiam viros fortissimos: Nec Starchatherus confectorem egisset, nisi rex Olo simulata feritate vultum mutasset, de Starchathero non aliud suspicans ob longam familiaritatis experientiam, quam illum esse ab insidiis alienissimum.

OMVN-

## OMVNDVS.

XLVII Rex OMVNDVS Olohis filius. Hic postquam maturuit, in nullo (inquit Saxo) paternis operibus defectior extitit. Siquidem res ab Olone gestas, aut æquare, aut transcendere, curæ habuit: In suis tamen tyrannidem non exercuit. Huius temporibus Starcatherus, voluntarie ab Hatero quodam interfectus, occubuit.

## SYVARDVS I.

XLVIII Rex SYVARDVS Omundi filius fuit infortunatissimus: Siquidē illius temporibus inuasērunt Sueci Schaniam, vicerunt, occupauerunt. Sic Germani quoque totam Iuriam. Igitur pugnans aduersus illū, qui Schaniæ erat præfectus, occisus est, occiso simul & Schaniæ præfecto.

## BVTHLVS, Buthle.

XLIX Rex BVTHLVS Syuardi frater, ob mentis ignauiam coactus est aduenienti Iarmerico regnum tradere. Sicque ex rege priuatus euasit.

## IARMEICVS.

L Rex IARMEICVS multis victoriis gloriosus, apud Slauos, quos frequenter rebellantes, etiam frequenter victos, rursus Danorum potestati subiecit, tandem seductus delationibus cuiusdam calumniatoris, cui Bicconi nomen erat, speciosissimam vxorem suam nomine Suawil-dam

dam regis Hellesponti filiam ob stupri suspicionem à Biccone falso intentatam tradidit equorum calcibus proterendam: qua re magis fuit illius obscurata gloria, quam prioribus victoriis illustrata. Nam ob hanc causam ab vxoris fratribus, amputatis sibi primum pedibus, & manibus interemptus est.

## BRODERVS.

Rex BRODERVS Iarmerici filius parum idoneus succedit in regnum. LI

## SYVALDVS III.

Rex SYVALDVS nullius præclaræ rei auctor. LII

## SVIO.

Rex SVIO Syualdi filius. hic patriæ res non solum seruauit, sed etiam diminutas in pristinum statum reuocauit. Schaniam quoque à Danicæ iurisdictionis integritate semotam, ad societatem patriæ victoria insigni reduxit. Hic regis Suetiæ vxorem vi rapuit, magno regni detrimento. Huius temporibus exorta graui fame, exiit è regno grandis exercitus, qui superatis Alpibus, proximam illius Italiæ partem, quæ nunc Langebardia dicitur, ab eisdem vocabulum sortita, quod essent longis barbis, inuadentes occupabant, ac interfectis omnibus viris, relictas vxores accipiebant. Vnde creuit tota Langebardorum posteritas. Hæc autem feruntur facta anno salutis DLXXXVI. LIII

C BIORN.

## BIORN.

LIIII Rex BIORN nullo egregio facinore insignis.

## HARALDVS III.

LV Rex HARALDVS Bioronis filius rerum summam assequitur.

## GORMON I.

LVI Rex GORMON Bioronis filius. Huic inter priscos Danorum duces non infimæ laudis locum rerum strenue gestarum titulus tribuit. Nam quæ de hoc Gormone feruntur sunt pænitus incredibilia; cuius curiositatem in peruestigatione secretarum ac mirabilium rerum omnes admirantur.

## SIGEFRIDVS.

LVII Rex SIGEFRIDVS Gormonis filius, Godefridi frater, cuius vxorem Widekindus Saxonum Rex, seu vnus ex primoribus Westfalorum hospesque eius vxorem habuit, ex qua genuit Witpertum. Hic legatos suos misit ad Carolum Magnum, anno Christi DCCLXXXVII. castris positus ad Lippiæ fontem, cum omni Francorum exercitu confedentem, atque per dies non paucos ibidem morantem.

## GOTRICVS.

LVIII GORMONIS filius rex GOTRICVS non armis modo, sed etiam liberalitate conspicuus; incer-

incertum fortior an clementior fuerit: adeoque feueritatem mansuetudine temperabat, vt alterum altera rependere videretur. Huius temporibus CAROLVS MAGNVS, victricia trans Rhenum castra receperat, cui Gotricus grauia intulit bella, qui cum proprii satellitis proditoria manu interiisset, Carolus Magnus effuso gaudio exultauit, nihil eo casu vnquam fortunæ suæ iocundius obuuisse confessus.

## HENNINGVS.

Rex HENNINGVS, cuius dignum memoratu opus (inquit Saxo) non reperi, nisi quod pacem cum Cæsare Ludowico iurifurandi firmitate composuit.

## OLAVVS II.

Rex OLAVVS Gotrici filius. Hic interfecto patris sui peremptore, ab aliis bellis abstinuit. Mortuus vero sepultus fuit apud Lethram, illius seculi regiam.

## SIVARDVS II.

Rex SIVARDVS regis Norwegiæ ex filia Gotrici filius, Schanis, Sielandisque fautoribus regnat. Nam consobrinus eius Ringo, idemque Gotrici nepos, Iutiam occuparat: qui tandem mutua cæde sunt extincti.

## REGNERVS, Regner Lodbrogk.

LXII Rex REGNERVS Lodbrog, Siuardi filius. Hic erat multis stratagematibus admirabilis, multis etiam victoriis gloriosus, Christianorum tamen acerrimus hostis & persecutor. periit captus in Hibernia, & serpentum lacui adiudicatus.

## HARALDVS Klag.

LXIII Rex HARALDVS Klag tyrannide Regneri fugit ad Ludowicum Imperatorem, cuius pietate factus est Christianus, roboratusque Saxonis auxiliis primus in territorio Sleswicensi templum Deo dicandum sollicitè & impense construxit, post sextum tamen annum factus est religionis Christianæ infamis defector. regnavit annis XVI.

## SYVARDVS III

LXIII Rex SYVARDVS Reginfridi, Saxoni Regneri, cognomento Lodbrog, summis totius Danicæ concionis suffragiis, paternum apprehendit imperium. Huius inter alia præcipua laus est, quod paternæ necis vindicem egit acerrimum. Erat autem vir ut animo acer, ita viribus robustus, cuius fortitudinem & acrimoniam inde vel maxime possumus perpendere. Nam paternæ necis accepto nuncio, hastile quod forte manu tenebat, altius pedi stupefactus immer-

fit, mæ-

fit, mæroris magnitudine corpoream negligentem molestiam: Quo facto simul fortitudinem mæroremque detexit, fortunam suam inter calamitosum filium constantemq. virum partitus. At post editas late strages, domestica claritate contentus, toga quam armis illustri haberi maluit, omissoq. castrorum cultu, ex acerrimo tyranno exactissimum pacis custodem gerere cœpit, tantum decoris in otio atque vacatione constituens, quantum ante in victoriarum frequentia repositum autumabat. Adeo autem studiorum eius mutatione fortuna fauorabiliter profecuta est, ut sicut ipse nemine, ita nec ipsum quisquam hostiliter laceraret.

## ERICVS I.

Rex ERICVS Haraldii frater, regnavit annis LXV XIII. huius temporibus, commisso prælio adversus Guttornum patruem suum, periit omne semen regium, usque ad vnicum Siuardi filium nomine Ericum Barnn: quo prælio uterque Ericus & Guttornus, cum innumeris aliis interemptus est.

## ERICVS II.

Rex ERICVS Siuardi filius, dictus Barnn, LXVI principio regni sui religiosissimum quemque aut supplicii insequi, aut rebus exuere, exilioque mulctare perseveravit. Sed paulo post prædicante beato Ansgario Archiepiscopo Bre-

C 3 mensi

mensi, sacrilegæ mentis terrore deposito, Christianissimus euasit, regnauit annis, vt quidam volunt, quadraginta sex, & primus Ripis Basilicam construxit. Huius temporibus erant principes homines crudelissimi, grassantes incredibili sæuitia, non solum in Dania, sed in Anglia quoque & Hibernia, omnes filij Rigneri Lodbrogi, quorum hæc sunt nomina, Ericus, Orbicus; Godefredus, Inguarus, Vbbo, Vlfo & Biorno. Isti fratres, duce Inguaro, qui omnium fratrum fuit crudelissimus, primo Norwegiam sibi subiiciunt: Deinde in Angliam venientes duos reges occiderunt, duosque fugarunt: Postea sanctus Eumundus Rex ab Inguaro captus, ligatus & flagellatus, nouissime vero decollatus est. Inde recedens dimisit classem cum aliis nouem regibus Aquilonis, ex quibus quosdam destinauit in Germaniam, quosdam vero in Galliam, qui omnes fere vrbes Gallia & Germaniæ aut subegerunt, aut destruxerunt, templa cum clericis vastantes; omnem quoque populum sibi resistentem, cum mulieribus & pueris, in ore gladij trucidantes. Dum hæc aguntur, moritur Ericus Barnn, relicto vnico filio Lodneknud adhuc infante: quæ audiens Olanus rex Suetiæ, cum grandi exercitu Daniam inuasit, vicit & occupauit, quinquennio possedit, factus rex sexagesimus septimus.

LXVII

SILVARDVS IIII.

## SILVARDVS IIII.

Rex SILVARDVS Olauï Nepos regnat x. annis, tandem à Danis interfectus.

## LODNEKANVTVS.

Rex LODNEKANVTVS Eriçi filius. Hic ex desperato pene adolescente, auctor insperatæ probitatis euasit. Hoc vero desendus, quod absque Christianæ religionis insignibus mortem vitæ commutauit.

LXIX

## SVENO I.

Rex SVENO Langefod Canuti filius, regnat nouem annis.

LXX

## FROTO VI.

Rex FROTO Suenonis frater. Hic Angliam vicit, vbi & fidem Christi edoctus, Christianissimus euasit. Volens igitur communem esse toti Daniæ hanc sælicitatem, misso legato ad Agapitum secundum pontificem Romanum, fidei doctores postulauit: sed priusquam rediisset legatus, in domino mortuus est, cum regnasset in Dania & Anglia annis viginti.

LXXI

## GORMONI.

Rex GORMON Frothonis filius regnat quatuor annis. huius tempore defecerunt à Danis Angli, pro quorum recuperatione nihil fortiter conatus est.

LXXII

HARAL-

## HARALDVS V.

LXXII Rex HARALDVS Gormonis filius, ob hoc egregiorum operum vacuus, quod regiarum opum (inquit Saxo) seruator magis, quam propagator extiterit.

## GORMO III.

LXXIII Rex GORMO acerrimus Christianorum persecutor: hos enim puniebat aut capitis supplicio, aut exilio damnabat, aut facultatibus exuebat. Templum etiam in fundo Sleswicensi à Christianis conditum, tanquam sacrilegum aliquod impietatis domicilium ab imis fundamentorum partibus demolitus est. Hic regiam maiestatem magis seruauit, quam auxit. Qui cum postulasset uxorem filiam Hedelradi Anglorum regis, nomine Thyram, cognomento Danckbod, non antea impetrauit quam polliceretur se Christianum fore; ex qua genuit duos filios, Chanutum & Haraldum. Hic Chanutus adeo erat patri dilectus, vt audita filij morte protinus expirauerit.

## HARALDVS Blotrand VI.

LXXIII HARALDVS Blotand Gormonis filius. Huius temporibus, Otto Imperator depopulatus est totam penè Iutiam, quo fugato ac fadere cum illo facto, factus est Haraldus rex Christianissimus. Post hæc THYRA mater regis, quo redde-

ret patriam tutiorem à clandestinis exterorum irruptionibus, quantum à Sleswico ad occidentalem Oceanum patet, vallo fossaque profcindere aggressa est. Cui postea Waldmarus rex & Absolon episcopus coctos lateres superstruxerunt, reficientes noua structura lapsus veteris valli. Ilte Haraldus cum multis annis regnasset, à filio Suenone Tweskeg regni affectatore, interfectus est per quendam Tokonem. cuius corpus Roskildiam missum, apud sacrarium, nuper ab ipso conditum, solemnem sepulturæ locum recepit.

## SVENO Tweskegk.

Rex SVENO furcatæ barbæ. Hic consilio impiorum quorundam nominis Christiani hostium, interfecto patre Haraldo, gauisus est se nactum esse occasionem sæuendi in diuina: sed infelicissimis casibus afflictus & flagellatus, tandem resipuit, factus Christianus & ipse, Popone quodam diacono rem Christianam adiuuante, edito apud Danos insigni miraculo. Is enim ad fidei Christianæ confirmationem, candens ferrum nudis manibus illæsus cunctis stupentibus portauit. Huius Suenonis beneficio habent mulieres in regno Daniæ ius hæreditarium. Hic Sueno tres Episcopatus Iutiæ instituit, Sleswicensem, Ripensem & Arhusiensem, mortuus est post conuersionem ac gloriosas victorias in perfectissimo vitæ fulgore, charus Deo & hominibus.

D CANV-



## CANVTVS II.

LXXVII

Rex CANVTVS Suenonis filius. Hic Norwegiam occiso sancto Olauo obtinuit, gentemque Esthonicam sibi subdidit. Deinde Angliam aggressus, fugato rege Edeldardo ac in Londonia mortuo, triumphato regno, relictam defuncti regis, filiam Ducis Normanniae uxorem accepit, ex qua genuit filium nomine Chanutum, cognomento durum, ac filiam vnam, quam Conradus Imperator accepit filio suo uxorem. Genuit etiam idem Chanutus alios filios duos ex Albica concubina, Haraldum & Suenonem. Regnavit igitur Chanutus iste senex super tria regna, Danorum, Anglorum, & Noruagensium, annis xx. Moritur anno Domini M. XL.

## CHANVTVS III.

LXXVIII

Rex CHANVTVS Durus. Huius temporibus regnavit Haraldus frater in Anglia quatuor annis, & mortuus est, cui successit Chanutus durus, & Sueno secundus frater in Norwegia, annis fere quinque, quo defuncto Noruagienses elegerunt in regem Magnum, sancti Olau filium. Quod cum rescisset Chanutus Durus, cum Anglis & Danis Noruagiam inuasit: vnde in toto fœdere, hac lege per amicos communes sunt reconciliati, vt qui fuerit alteri superstes, vtrunque regnum occuparet: Chanutus vero Durus,

Durus, paulo post mortuus est, cum regnasset annis nouem.

## SVENO III.

LXXIX

Rex SVENO Estridis Chanuti Duri ex Esthryta sorore nepos. Huius temporibus Magnus rex Noruagiæ occupaturus regnum Danorum ex pacto, quod cum Chanuto Duro pepigerat, pugnavit aduersus Suenonem & vicit. Sueno igitur in Schaniam fugiens, atque inde in Sueciam fugam parans, audiuit Magnum esse mortuum, qui mox reuersus ab vniuersis Danis in regem eligitur. Regnavit autem annis xxviii. Huic erant quinque filij, qui omnes post eum regnauerunt. Iste Sueno erat magnus religionis cultor, ac præcipuus cleri amator, cui inter cæteros erat charissimus Wilhelmus Roskildensis episcopus, à quo sustinuit libere coargui & admoneri, si quando admisisset quicquam correctione dignum. Nam quemadmodum in vita sese mutuo dilexerant, ita in morte quoque non sunt separati: Episcopus enim regio funeri solempni more occursurus iussit parari duo monumenta, duoque pheretra ex vrbe Roskildensi efferri. Cumque cognouisset in Topfow Vre adesse regium funus, erectis in cælum oculis & manibus, si quo rerum auctori seruitio placuisset, vitam à se finiri petiuit. hæc fatus, veluti in domestico lectulo acquiescens extinguitur.

D 2

HARAL-

HARALDVS VII.

LXXX

Rex HARALDVS Suenonis filius natu grandior, huius tempore defecit ab obedientia Danorum Anglia, quæ iam M. xx. annis fuerat regibus Danorum vectigalis. Et quoniam regis functioni erat parum idoneus, sub illius principatu quisque suo voto vivebat, affectibus magis quam legibus, aut æquitati seruiens: vnius tantum legis editione, maximos meruit vulgi fauores, quia concessit reis in purgatione intentati criminis, vt sese iureiurando tuerentur, quæ lex erat hoc nomine vulgo gratissima, quod minus periculi formidaretur ex periurio, quam ex ferro. Erat autem Haraldus iste sacrorum officis deditus, sed superstitiose magis quam pie. Cumque regnasset duobus annis, defungitur.

CHANVTVS IIII.

LXXXI

Rex CHANVTVS sanctus, secundus Suenonis filius. Ille non solum egregius pietatis & religionis cultor, verum etiam magnus iustitiæ amator. Videns autem regni incolas hæere in multis, ad Christianam pietatem religionemque spectantibus, nec esse cæteris per orbem Christi fidelibus legibus & ceremoniis pares & conformes, cum essent ob contemptum regis iussionis, qua iussi erant expeditionem facere in Anglos rebellantes, graui pecunia mul-

ctandi,

ctandi, remissa pecuniaria mulcta, religiosa pietate vrgebat, vt ritu altarum nationum Christianam religionem profitentium, decimas sacerdotibus suis soluerent. Qui perfidia Olavi fratris, ac prodicione cuiusdam Bloconis diuersum persuasi, præcipue Iuti aquilonares frequenter perfidi, infurrexerunt aduersus sanctum & iustum regem, fugientem in Pheoniam persequentes, vbi in vrbe Othonia sanctum Dei martyrem crudeliter occiderunt, in basilica, quæ nunc domino Albano sacra est, anno regni sui decimo. cuius crudellem interfecionem fuisse verum martyrium, diuinæ pietatis multa miraculorum frequentia declarauit. Perit anno M. LXXXVIIII.

OLA VVS Hunger.

Rex OLAVVS tertius Suenonis filius: Hic ab exilio Flandrensi reuocatus, remisso fratre Nicolao, quem vadem pro Olavi redemptione dederunt, omnium suffragiis rex creatur. Huius temporibus, in vlrionem immanissimi parricidij, tantæ fuit annonæ caritas, vt multi fame perirent, quæ nõ tantum obscurorum familias vexabat, sed etiam vsque ad regis penates peruenerat: quas cum vidit rex periclitari mensarum inopia, diuinum natalem celebraturus, rogauit Deum, vt si quid iræ aduersus populum concepisset, suo non eius periculo satiaretur. nec difficiles numinis aures habuit. Nam

D 3 eadem

eadem nocte esurientem & parricidij penitentem animam efflauit, anno VII. sui regni, Domini M. XC V.

### ERICVS Eigota III.

LXXXIII Rex ERICVS cognomento & re ipsa bonus. Fuere huic Erico filij Charaldus, Chanutus & Ericus, sed primus concubina, secundus matrimonio, tertius adulterio ortus proditur. Erat autem Ericus iste simul fortis & mansuetus, tenuitque medium temperamentum inter desidiam & ferociam: quamobrem maioribus formidolosus, minoribus autem percharus fuit, cum hos paterna indulgentia, illos regia seueritate insequeretur. Filias quoque plures ex concubinato habuit. Huius temporibus factus est Ascerus quidam, clarissimo inter Iutos loco natus, primus Archiepiscopus Lundensis, prius enim parebant omnes Danici regni Episcopatus Archiepiscopo Bremensi. Sub hoc Erico vixit gloriosus Skialmo Candidus, educator filij Erici, nimirum Chanuti Ducis. Tandem octauo regni sui anno, pro expiatione summorum peccatorum religiosam amplexus est peregrinationem, Iudæam versus, electis procerissimis quibusdam peregrinationis sociis, ut sui corporis proceritatem consentaneo sociorum habitu minueret. In ea vero peregrinatione mortuus est in Cypro insula toto orbe famosissima, vbi etiam non sine grandi miraculo sepultus est.

eadem

eadem insula, ab ipsius sepultura defunctorum cadauera continente, quæ antea non poterat continere, anno Domini M. C V.

### NICOLAVS.

LXXXIII NICOLAVS quintus Suenonis filius. Huic erat filius nomine Magnus, ex vxore Margaretha filia regis Suetiæ, homo crudelissimus & impius, qui etiam interfecit sanctum Chanutum martyrem & ducem, ipsius quoque fratrem Haraldum. Iste Nicolaus bello superatus ab Erico Emund, occiso Magno filio, fugit ad Slesvicum, vbi à Iutis interfectus est, in vltionem Chanuti ducis, qui erat Iutis charissimus. Anno Domini M. CXXXV.

### ERICVS Emundt III.

LXXXV ERICVS Emundt. Hic interfecto Haraldō fratre suo, vniuersisque liberis eius submersis, tandem regnauit. Bello etiam vicit & interfecit Magnū fratris sui Chanuti interfectorem. Pacem igitur bello questam iustitiæ ornamentis excolere studuit. Grauius enim animaduertere cepit in maiores & potentiores, qui minores iniuria afficiebant: vnde neque familiaritati neque necessitudini parcebat: maiorum enim inconsultam auariciam, aut ferro, aut laqueo castigabat. quo studio & principum odia & plebis obsequia contraxit. Hic Ericus ab Episcopo Roskildensi Eschylo, ob similitudinem inter

inter illos exortam, pulsus est in Iutiam, Sialandensibus Eschyllo opem ferentibus, solis Skialmonis filiis seditionis consortium detrectantibus: sed ut ad eos impunitas redundauit, ita ad Eschylum poena concessit. Rege enim cum Iutica classe reuerso, patris ac patruum interuentu vsus, vicena auri talenta mulctæ nomine persoluit. tandem à Plogo quodam claro loco inter Iutas nato, coram rege cuidam ex plebe de se queritanti respondente, lancea transfuerberatus occubuit; Anno Domini M. CXXXIX. cum iam quatuor annis regnasset.

## ERICVS Lamb v.

LXXXVI

ERICVS Lamb, Erici ex sorore nepos: hic præter solam animi fortitudinem nihil à natura dotis acceperat, sicut enim erat prudentia vacuus, ita parum amœnus eloquio. qui confectis aliquot bellis aduersus Olauum auunculi sui Haraldii filium, tandem Othoniæ factus est monachus. moritur regni sui anno VIII. Christi M. CXLVII.

## SVEINO IIII.

LXXXVII

SVEINO Erici Eumundi filius. Huius temporibus ambiebant regnum etiam Chanutus Magni filius, & Waldemarum Chanuti ducis filius, variantibus inter sese populi suffragiis. Igitur Schanienses elegerunt Swenonem, vna cum Sielandis, Iutorum principatum renente Chanuto,

Chanuto, inter quos ancipiti semper victoria pugnarum est decem annis. Ab hoc Suenone captus est, & per ludibrium in templo Beati Laurentij suspensus, Eschyllus Archiepiscopus Lundensis. Vbi ergo Sueno iste nulla certa victoria videret sibi totius regni principatum contigisse, desperabundus fugit in Saxoniam. Interim Dani conuenerunt eligentes duos reges, Waldemarum filium Chanuti ducis, filij Erici Boni, & Chanutum filium Magni interfectoris beati Chanuti regis; hac lege, ut simul regnarent. Quod cum audisset Sueno ex Saxonia reuersus, hanc meruit gratiam, ut cum aliis duobus regni consortium acciperet, partito in tres partes vniuerso regno. Sueno igitur Saxonum præsiidiis & armis fretus, mox Chanutum Roskildia dolose occidit, occisurus etiam Waldemarum, nisi beneficio Hefberni Suare nepotis Skialmonis Candidi, seruatus ac in Iutiam maximo naufragij periculo fuisset transuectus. Quem cum insequeretur Sueno, eodem anno in prælio, quod Gratemosa commissum est, à Waldemaro victus & occisus est: vnde & iustas dedit perfidiae poenas.

## CHANVTVS v.

CHANVTVS filius Magni, filij Nicolai interfectoris regis, beati Chanuti ducis. Hic naturam à patre sortitus, à paternis moribus erat alienus. Cumque duodecim pene annis dubia

E spe

spe regnasset. Tandem à Suenone perfidissimo Roskildæ per insidias nocte occiditur.

### WALDAMARVS I.

LXXXIX

WALDAMARVS Chanuti ducis filius, non solum naturæ, sed etiam pietatis paternæ hæres egregius. Hic interfecto publico prælio perfidissimo Suenone, tandem solus regnavit. huius temporibus, cum frequentes facerent incursiones Saxones in Iutiam, Waldamarus & Absolon Episcopus Lundenfis, vt multis annis arcerentur ab huiusmodi incursionibus, extruxerunt murum cocto latere, super vallo olim facto in eandem rem ab illustrissima Danorum regina Thyra Danebod, matre Haraldi Blorand, quam quidem structuram appellant Dani Wercke. Hic Waldamarus cum esset multis victoriis gloriosus, admirandis etiam rebus eximius, triumphata Rugia atque per Absolonem ad fidem conuersa, cum filiam suam dedisset Friderici Imperatoris filio vxorem, vidissetque sanctissimum patrem suum Diuorum Catalogo ascriptum, filium suum regni diademate ornatum, tandem mortuus est, cum regnasset annis xxv. in Ringstede sepultus, cum Serenissima regina vxore sua Sophia, filia Swerkonis regis Suetiæ, quæ obiit anno Domini M. CLXXXII.

CHANV-

### CHANVTVS VI.

CHANVTVS primus Waldamari filius, qui per Absolonem Episcopum terra & mari gloriose belligeratus est aduersus Romanum Imperatorem contendentem Danorum regnum semper liberrimum, esse imperij feudum. Holsatiam igitur & Dithmarsciam triumphauit; tandem cum regnasset annis xxii. mortuus est. Anno M. CCIII. in Ringstede, sepultus cum sua sorore Rebiza regina, vxore Erici regis Suetiæ, quæ obiit anno M. CCI.

XC

### WALDAMARVS II.

WALDAMARVS Chanuti frater, fuit multis victoriis gloriosus, qui Danis ferrum etiam legem composuisse, antiquas leges aut emendasse, aut in ordinem redegit. Noruegiam vicit, cui regem tributarium dedit Erlingum quendam, ducemque constituit Philippum: accepit autem vxorem nomine Dagnor filiam regis Bohemiæ, huius temporibus initium habuerunt ordines minorum & prædicatorum sub anno M. CCVIII. Et eodem anno pugnatum est in Lettia Ostgotiæ, duce Suerchero Hack rege Suetiæ, filio regis Caroli interfecti à Chanuto rege, filio sancti Erici, in cuius vltionem Suercherus interfecit omnes Chanuti filios, vnico Erico filio in Noruegiam euadente. huic Suerchero auxilium à Waldamaro postulanti,

XCI

E 2

additæ

additæ sunt Danorum copiar fortissimæ, viro-  
rum videlicet octodecim millia, sub principi-  
bus belli Ebbone Simonis & Laurentio illius  
fratre, fortissimis pugnatoribus, filiis domini  
Suenonis Sielandici de Knaretorp, factaq. est  
magna vtriusque exercitus strages. ceciderunt  
in eò prælio præfati belli Principes; pugnatum  
est autem pridie Kal. Februarij, cessitque victo-  
ria Suerchero, sed maxima sui exercitus iactu-  
ra, cæsis innumerabilibus Suecis. Rursum anno  
M. CCX. bellatum est. Gulstus Reen ibi & rex  
Suercherus occubuit & dux Folcho, alij quoq.  
multi viri nobiles de Folchongis, cessitque vi-  
ctoria Suecis. Anno M. CCXIII. Cum defuncta  
esset regina Dagmor, celebratæ sunt secundæ  
nuptiæ regis Waldemari, cum filia regis Portu-  
galix, qui anno sequenti constituit filium suum  
Waldemarum regem in placito Wibergensi,  
qui tamen ante patrem suum mortuus est, an-  
no Domini M. CCXXXI. sepultusque est Rein-  
stadiæ cum vxore sua Dagmar, filia regis Bohe-  
miæ, & cum vxore secunda Bormgera, filia re-  
gis Portugalix, sorore Letuemæ Comitissæ Flan-  
driæ, quæ obiit Anno M. CCXX. Eisdem tempo-  
ribus cum Otto Imperator armato milite ve-  
nisset aduersus Waldemarum regem, occupa-  
turus Holsatiam, si res illi ex voto succederent,  
verum cum audisset regem Waldemarum sibi  
cum ingentibus copiis occurrere, in fugam est  
conuersus, nec quieuit donec ultra Albiam  
ventum

ventum esset. Anno Domini M. CCXVI. Walde-  
marus rex terram Comitissæ Henrici ultra Al-  
biam paulatim vastare ac populari cepit, ex-  
truxitque duas arces non procul ab Hamma-  
burg. Ducatumque Erico filio suo contulit. Co-  
mitatum autem, quem ab Henrico Comite vin-  
dicauit, Nicolao filio suo (quem ex pellice ha-  
bebat) dedit. Anno M. CCXXIII. dolo captus est  
rex Waldemarum cum filio Waldemaro, & in  
Slauoniam deductus. Anno autem M. CCXXVI.  
grandi pecunia redemptus, anno M. CCXXXII  
coronatus est Ericus Waldemari filius in re-  
gem, & frater eius Abel Iutiæ Ducatum accepit.  
Anno M. CCXXXIX. idem Ericus duxit vxorem  
Iuttam filiam ducis Saxonix. Igitur cum Wal-  
demarus gloriose regnasset annis xxxix, mor-  
tuus est M. CCXLI. in cæna Domini, quæ erat  
quinta Kal. Aprilis: in Ringstede sepultus, regno  
in optima pace relicto, ac filiis omnibus antea  
matrimonio iunctis.

## ERICVS VI.

ERICVS Waldemari filius, vir bonus ac pius. xcii  
Hic multis annis aduersus fratrem suum Abel  
virum crudelissimum belligeratus est: à quo  
tandem dolo capitur, capiteque truncatur in  
vigilia sancti Laurentij, M. CCXLII.

## ABEL

ABEL Erici frater & peremptor, cum duo- xciii  
E 3 bus

bus annis male regnasset, à Phrisonibus est interfectus Eiderstadenfibus, iusto Dei iudicio, quod ille prius occiderat regnandi cupiditate innocentissimū fratrem suum, anno M. CCXLII.

## CHRISTOPHORVS I.

XCIII

CHRISTOPHORVS frater Erici & Abelis, nullo facinore gloriosus erat. Sub illius Principatu tanta erat plebis rebellio aduersus regem, vt coacta turba irrupens in arces regias, quas aut destruxit aut prorsus est demolita. Vno scelere euasit infamis: accepit enim Archiepiscopum Iacobum captiuum, quem carceri mancipauit in arce Hagenscow. Cuius causa iam regnum fuit nouem annis sub interdicto. Mortuus est anno Domini M. CCLIX. Circa hæc tempora obseruatum est quiddam in Suetia, quod à temporibus sancti Erici initium habuit. Cum enim in Suetia Upsalenses sanctum Ericum, in Scania vero Ostgoti Carolum Suerceri Hack patrem elegissent, constituerunt, vt ex his duabus progeniebus, alternis vicibus, eligerentur reges: quæ constitutio durauit centum annis, vsque ad tempora Bugeri ducis, patris Waldemari, & Magni Ladelaas regum Suetiæ, qui captos dolo præcipuos de Folkengis viros eximios occidit, vt regnum apud illius posteros perseueraret.

ERL

## ERICVS VII.

ERICVS Klipping erat multis flagitiis operatus, factilegiis, oppressionibus, ac infami libidine, ita vocatus, vt omnibus haberetur inuisus. Igitur anno M. CCLXXXVI. cum ruri ageret venationis gratia, ac nocte beatæ Cecilie dormiret in villa Findetorp Wibergensis diocesis, iaceretq. cum multis in horreo quodam multū soporatus, ingressi sunt clam septem viri præuia laternula, studio armati, quorum vnus regis caput manui innixum graui pugione crudeliter tranfuerberat, ceteri vero irruentes regis cadaver iam exanimem intulerunt illi vulnera LXX. in vltionem perfidiæ ipsius regis, ac præcipue nefandæ libidinis, qua expugnauerat corruperatque multarum etiam nobilium matronarū pudicitiam, inter quas etiam fuerat stuprata vxor domini Stiggori Andree, regni Marscalci. Iste Ericus dedit filiam suam nomine Sophiam Waldemaro regi Suetiæ vxorem: qui ob stuprum eiusdem sororis Sophiae è regno pulsus, habuit Magnum Ladelaas fratrem suum regni successorem.

## ERICVS Memwidt VII.

ERICVS Memwidt Erici filius, aliquot victoriis aduersus Teutones insignis, Rostochium triumphauit, & iuxta Warnaw turrim extruxit.

XCIV

XCVI

extruxit. Huius tempore Anno M. CCLXXXVII. iuratum est in Dacia à xxvii viris nobilibus, Dominum Iacobum Comitem Hollandiæ, Dominum Stigotum Marschalcum, Dominum Nicolaum Hallenrezfar, Dominum Petrum Porse, aliosque multos illorum complices, veros esse regis Erici interfectores: qui statim sibi timentes in Noruagiam fugerunt, receptique sunt sub regis Noruagiæ protectione, Anno M. CCXCIII. Mortuus est autem dominus Stygotus quondam interfecti regis Erici Marschalcus, in insula Hielmus, quam arce quadam muniterat, vbi regis interfectores tuta habebant præsidia, vnde etiam piraticam exercebant. A Stygoti enim obitu dispersi sunt, ac diuersis locis supplicio affecti. Nam antio statim sequenti captus est Ranelonus, qui extra Roskildiam rôta percussus, occubuit in vltionem interfecti regis Erici, cuius idem Ranelonus fuerat cubicularius, adeoque proditor infamis. Iste Ericus, mortuus est sine liberis M. CCCXIX. cum regnasset annis xxxii. in Ringstede sepultus: & ad sinistram suam iacet mater sua Agnes regina, vxor regis Erici Wibergis sepulti, filia Alberti Marchionis Brandenburgensis, quæ obiit M. CCCIIII. & ad dexteram eiusdem iacet vxor sua, filia Magni regis Suetiæ, quæ obiit anno M. CCCXIX.

CHRISTOPHORVS

## CHRISTOPHORVS II.

CHRISTOPHORVS Erici frater, qui electus xcvii est anno M. CCCXX. erat regni diademate profusus indignus ob ignauiam, nec vnquam fortunatus aut felix, adhæc omnis nobilitatis osor, populi vorator. Igitur tanquam perfidus princeps sustinuit multorum rebellionem: quam declinare volens bis è regno fugerat, rediitque spe recuperandi, sed nullo fructu. Nam Holfatis in pignus dederat vniuersam Schaniam. Habebat autem tres filios, Ericum, Ottonem & Waldemarum: Ericum regem constituit, vt vna secum regnaret. verum vterque male regnans, graue odium incurrit. Nam regni proceres fugato patre filium captum carceri manciparunt in arce Hadersleff, qua occasione caperunt Holfatiæ Comites regnum ambire, nihil non tentantes, vt Danos in perpetuam quandam seruitutem redigerent: quod animaduertentes Danorû proceres, reuocant ab exilio Christophorum regem, & Ericum illius filium à vinculis absoluunt, qui paulo post breui tempore regnantes calamitosa morte defuncti sunt. Anno Domini M. CCCXXXIII. Dominus Magnus Rex Suetiæ redemit vniuersam Schaniam à Dominis Holfatiæ, qui illam in pignus acceperant à Christophoro rege Danorum, patre Waldemari Duri. Redemptionis autem pretium erat Lxx millia marcharum argenti puri; videntes

F enim



enim Holfati ob tyrannidem, qua grassabantur in vniuersam Schaniam, defecisse Schaniae proceres ad Magnū Smeg Suetiæ regem, coacti sunt vendere, quod alioqui non fuissent diu habituri. Anno Domini M. CCCXL. cum in regno Datiaē adhuc esset interregnum, mortuo scilicet rege Christophoro, & non dum ex aula Imperatoris reuerso Waldemaro, Iutiam sunt hostiliter ingressi Domini Holfatiæ, Ioannes Dux & Gerardus Comes, eandem mox occupaturi. Cumque Comes Gerardus ad Randusiam Iutiæ ciuitatem peruenisset, ac ibidem sua firmasset præsidia, à nobili quodam viro Nicolao Elbonis, patriæ libertatis studiosissimo, nocte interfectus occubuit, cum multis nobilibus ac aliis militibus, quos secum in præsidii ibidem habebat.

### WALDEMARVS III.

xcviii

WALDEMARVS cognomento Reprobus, fertur fuisse versutissimus, auarissimus & audacissimus, qui cum offendisset regnum pauperrimum, scilicet à suo patre spoliatum, ab hostibus Alemanis vastatum, à quibus tum etiam multæ arces possidebantur, mira vafrie vindicauit è possidentium manibus, minima sanguinis iactura, principio regni sui, scilicet Anno Domini M. CCCXL. Vindicauit etiam Schaniam, abusus simplicitate Magni regis, ac dolo exustis omnibus eius literis. Anno vero  
proxi-

proxime sequenti vindicata Schania, iam aperto Marte inuasit Olandiam & Gotlandiam: atque cum crudelissime vastasset vtramque, interfectis in Olandia quingentis viris, in Gotlandia vero duobus millibus; eodem anno amisit Olandiam & Gotlandiam \* est & retenta. Iste Waldemarus in asserendo regno fuit admodum gloriosus. Nam vt illud in libertatem assereret, nihil non tentauit: receperat vastatum, spoliatum, depauperatum, & quodammodo in solitudinem redactum, non tam ignauia patris ac fratris, quam exterorum excursionibus, sed liberum ac florentissimum reliquit. Hanc tamen illius gloriam obscurarunt, insatiabilis auaritia, ac infamis perfidia, qua violato iure iurando, cæpit tyrannidem exercere aduersus nobilitatē totius regni, quam etiam extinctam cupiebat, quo crudelius grassaretur in omnes, iam sublato metu, qui solet esse officij custos. Ob hanc enim causam pertulit ab ipsis proceribus frequenter rebelliones, non insidiantibus regi, & crudeli, & formidabili, sed sibi magis prospicientibus ne perirent, quorum tamen rebellionem crudeliter vltā est in multos Margareta illius filia, trium regnorum regina, quantumuis visa sit aliis virtutibus spectabilis. Erat autem Waldemarus iste adeo irritabilis in omni re, vt etiam facile fuisset fidem relicturus, nisi obstitisset religiosus quidam pudor. Nam Romano Pontifici ob tyrannidem ac  
perfidiam

perfidiani interdictum ac excommunicatio-  
nem minanti, fertur in hæc verba respondiſſe.  
Waldemarus rex &c. Romano Pontifici ſalu-  
tem, Naturam habemus à Deo, regnum ab in-  
colis, diuitias à parentibus, fidē vero à tuis præ-  
deceſſoribus, quam, ſi nobis non faues, remitti-  
mus per præſentes. Vale. Habebat autem vxor-  
em nomine Helwig, filiam Waldemari ducis  
Sleſuiceniſis, ex qua ſuſtulit præcipue duas fi-  
lias, vnā, quæ nupſit Haquino Noruagien-  
ſium regi. hæc fuit Margareta regina trium reg-  
norum. Alteram quæ nupſit duci Magnopo-  
lenſi, cui genuit duas filias, matrem Erici regis  
de Pomerania, & Chriſtophori regis de Baua-  
ria. Cum multis annis regnaſſet Waldemarus,  
mortuus eſt in arce Gaure à ſe extructa, ſe-  
pultus Soræ cum patre ſuo, Anno Domini  
M. CCC. LXXV.

### MARGARETA.

MARGARETA loco regnauit Waldemari pa-  
tris, mulier crudeliſſima, ac inferno digna, Sue-  
corum ſententia, verum Danorum opinione  
Chriſtiana ac religioſa valde, & adeo potentia,  
fortuna, victoriis, diuitiis ac prudentia glorio-  
ſa, vt fortunatiſſimos viros videatur nō ſolum  
æquaſſe, verum etiam longe ſuperaſſe. Hæc reg-  
nante patre nupſit Haquino filio Magni Smeg  
regis Suetiæ & Norwegiæ, cui vnicum filium  
genuit, Olaū nomine, Anno Domini M. CCC. LXI.  
qui

qui fertur ignota morte periſſe, non dum ac-  
cepto regno, Anno M. CCCLXXXIII. Regna-  
uit autem poſt mortem Haquini ſui mariti an-  
nis xxxii. Bellum enim ab Haquino cæptum  
aduerſus Albertum regem Suetiæ illa glorioſe  
perſecit. Anno Domini M. CCCLXXXIX. miſſo  
ex Dania grandi exercitu, ſub principe belli  
domino Iuaro Lucke, pugnatum eſt in Aſle ad-  
uerſus Albertum regem, ceſſitque fortuna ipſi  
Margaretæ victoriam, captusque eſt Albertus  
in prælio, vna cum filio ſuo Erico duce, ſimul-  
que cum illis capti ſunt Rodolphus Archiepi-  
ſcopus Scharenſis, Dux Magnopolenſis, regis  
Alberti pater, Comes Holſatiæ, & Comes de  
Reppin, alij quoque multi Barones, & proce-  
res, interfectis multis militibus plebeis. Nam  
equites aurati ibidem caſi fuerunt xix, excep-  
tis aliis nobilibus, qui numerari non poſſunt.  
Nam vt erat glorioſa victoria, ita præceſſerat  
atrox bellum. Captus igitur Albertus & in Da-  
niam ductus, ſex annis in captiuitate durat. Li-  
beratus eſt autem à captiuitate anno M. CCC. XCV,  
circa feſtum Michaelis, hac lege, vt præfixo ter-  
mino aut ſolueret reginæ LX Marcharum mil-  
lia argenti puri, aut fieret deditio ciuitatis Hol-  
menſis, aut rediret in captiuitate perduraturus.  
Cumque nec rediret, nec ſoluere valeret tan-  
tam ſummam, ſcripſit Holmenſibus, & mox  
conſequuta eſt deditio. ſicque obtento vniuer-  
ſo regno glorioſe regnauit, pepigitque fædus  
illud

illud solemne, quod tria regna coniunxit, quod  
 vtinam durasset in hodiernum vsque diem.  
 Ictum enim erat fædus hac lege, vt in electio-  
 ne regum, alternis vicibus haberet Suetia pri-  
 mum suffragium, Datia vero alternis. Et quo-  
 niam in electione Erici regis Dacia primum  
 habuerat suffragium, mox in electione Christo-  
 phori regis, etiam primum vsurpabat suffra-  
 gium: qua temeritate & arrogantia offensi Sue-  
 ci, statim elegerunt sibi proprium regem Caro-  
 lum Canuti, maximo vtriusque regni dispen-  
 dio. Hæc Margareta cum orbata esset posteri-  
 tatis spe, nimirum mortuo Olauo filio, voca-  
 tum ad se Ericum nepotem ex Pomerania, in  
 regem eligendum curauit, anno Domini M.  
 CCCXCVI. cum esset quatuordecim tantum  
 annorum, qui statim anno sequenti Calmaria  
 est coronatus ab Archiepiscopis Lundensi &  
 Vpsalensi, præsentibus Episcopis Lincopensi,  
 Scharensi, Arengenensi, Arosteni, Vexionensi,  
 Ariosinensi, Ripensi, Orcadensi, vbi creati sunt  
 ex tribus regnis equites aurati centum triginta  
 tres. Itaq. Margareta cum Erico habebat com-  
 mune regnum, vsque ad diem mortis suæ, ac-  
 cepitque ille vxorem, filiam regis Angliæ, no-  
 mine Philippam, anno M. CCCXVI. Celebratæ  
 sunt nuptiæ Lundis eodem anno, circa festum  
 omnium sanctorum. Cumque diu regnasset,  
 semper cleri amatrix, magno laicorum odio,  
 tandem mortua est, ac Roschildiæ sepulchro  
 precioso

precioso sepulta anno M. CCCCXII, circa fe-  
 stum Simonis & Iudæ.

## ERICVS X.

ERICVS filius ducis Pomeraniæ, Waldema-  
 ri pronepos. Hunc Ericum narrat Suecorum xcix  
 Chronicon, sic educatum fuisse à Margareta re-  
 gina in omni perfidia & crudelitate, vt Walde-  
 maro nihil fuerit inferior, imo perfidia supe-  
 rior, adeo vt dicant illū ex Margareta vberibus  
 suxisse quicquid malitiæ illa velut hæditario  
 iure à patre crudelissimo & versutissimo posse-  
 derat. Obtestata enim super literis, & iuramen-  
 tis seruandis, de fide castrensi non in externos  
 transferenda, solita erat respondere, Seruate  
 vos qua potestis diligentia nostras literas, nos  
 curabimus arces seruari. Hic Ericus obtesta-  
 tus de iureiurando fertur eadem sententia re-  
 spondisse Suetiæ *Eder ja Herre vil jag icke vare.*  
 Huius Erici temporibus fecerunt Alemanni gra-  
 uem irruptionem in regnum Danorum, sed  
 nullo suo commodo, Philippa regina, & senatu  
 regni aduersus illos pugnantibus & vincenti-  
 bus. Rex autē Ericus visus est bellis nihil aliud  
 quæsisse, affectasse, desiderasse, quam suorum  
 procerum ac nobilium interitum, ideoque fer-  
 tur amasse bellum, victoriam non amasse, sem-  
 per contentus cladem aliquam suorum fide-  
 lium procerum accepisse. Qui cum erga omnes  
 esset perfidus & iniquus, Suecis tamen quam  
 Danis

Danis erat iniquior, aut sic à Margareta edoctus, quæ Suecis fuerat semper durissima, aut alio affectu priuato. Nam quo semper posset Suecis inter \* esse ab utroque regno deturbatus, elegit Gotlandiam insulam, tanquam exilij tutissimum præsidium: unde pyriticam in Suecos perpetuam exercuit, Danis interim parcens, à quibus etiam recedens, & in Pomeraniam rediens, tradidit totam Gotlandiam possidendam & asseruandam. Aduersus hunc Ericum, feruntur multa scripta accusationum capita, quibus palam est illum fuisse è regno iustissime profligatum: ac inter cæteras grauissimas querelas, xxvii prodiones capitales & infames. Cumque diu regnasset, multis adulteriis opertus, voluptatibus deditus, periurio, rapina, perfidia, violentia, tyrannide ac prodione sceleratissima, conspiratione solemnium omnium procerum regni publicam libertatem optimo iure asseruantium consternatus, sibi male conscius fugit in Gotlandiam, compilatis regni thesauris, ac comitatus vnica concubina præ cæteris charissima, cui nomen Cæcilia, quæ non minimam præstitit expulsionis causam, cum esset illi multorum malorum incentrix ac consultrix. Fugit autem anno Domini M. ccccxxxviii. cum à coronatione sua regnasset annis xiiii.

CHRISTOPHORVS III.

CHRISTOPHORVS III.

Rex CHRISTOPHORVS dux Bavariae, etiam Waldemari pronepos: hic electus est in Regem consilio Erici regis. Cui si contigisset vita diurnior, euasisset valde gloriosus, præcipue aduersus petulantiam ciuitatum quæ à gallinis (Henstede) nomen habent. Nam ad illarum petulantiam coercendam ac refrenandam (quæ etiam regnis ac principibus minitabantur) videbatur valde idoneus: vehementer enim dolebat Lubecam olim à Danis extructam, Danorumque regibus subiectam, sic per prodicionem libertatem vindicasse, ut illi nunc dominari cupiat, cui prius subiecta seruebat. Ad eam igitur rem perficiendam collegit ab vniuerso regno magnam pecuniarum vim. unde offensi Aquilonares luti, excitata graui seditione rebellare tentantes, à rege victi sunt, grauiusque multati. Cumque duxisset uxorem filiam Iohannis Marchionis Brandenburgensis nomine Dorotheam, sine liberis mortuus est anno regni sui septimo, Domini M. ccccxlvii. in arce Helsingborg. Erat autem iste Christophorus Danis quidem acceptus, Suecis inuisus: quibus tamen ad mortem vsq. dominatus est.

CHRISTIERNVS I.

Centesimus primus rex CHRISTIERNVS, eius nominis primus, filius Theodoricus Comitis de

G tis de

tis de Oldenburg, & Hedwigis sororis Adolphi ducis Sleswici. Electus est autem consilio domini Adolphi ducis Holsatiae, cuius erat consanguineus, qui ducta vxore Dorothea, praecessoris sui Christophori relicta vidua, genuit ex illa filiam ynam nomine Margaretam, postea Scotiae regis vxorem; ac duos filios, Iohannem & Fridericum. Haec electio facta est anno Domini M. CCCXLVIII. Huius temporibus plene defecit Suetiae regnum à fædere trium regnorum, coronato sibi proprio rege Carolo Canuti filio, eiusdem regni Marschallo; quo tandem expulso ob tyrannidem ac perfidiam, assumptus est Christiernus etiam in Suetiae regem, sed paruo tempore regnantem, seditionem aduersus illum mouentibus Suecis quibusdam natura factiosis, Carolo iam reuocato ex vrbe Gandamensi, in qua VII annis exilium transegerat. Iste Christiernus cum esset natura clemens, egregiusq. pecuniarum contemptor, nec odij tenax, aut iniuriarum vindex, habuisset suo seculo regnum minime violentum, parum etiam cruentum, si calumniatores quidam illius simplicitate nõ fuissent, in magnam regni Suetiae perniciem abusi. Archiepiscopus enim Vpsaliensis, Dominus Iohannes Benedicti, vir nobilissimus, falsis delationibus quorundam calumniatorum à rege Christierno captus ac ludibriis affectus multis, in Daniam etiam missus, vbi magna iniuria calamitose vixit. Cuius tamen

tamen patrocínio ac praesidio Christiernus rex adeptus erat regni diadema. Idem enim Archiepiscopus succensus patriae libertatis amore, odio habens Caroli regis maximam perfidiam, crudelissimam tyrannidem, atque insatiabilem avaritiam, semper restitit Carolo regi principi perfidissimo, quem sciebat contra trium regnorum solemne fædus, priuatis quorundam suffragiis violenter intrusum esse regem. Rex tamen Christiernus, deprehenso calumniatorum dolo, à captiuitate absolutum Archiepiscopum in Suetiam magno cum honore remisit: qui restitutus gradui pristino, contempta captiuitatis iniuria, ad mortem vsque magna Suecorum perfidorum admiratione permansit regis Christierni regno & Principatui fidelissimus. Cum igitur Christiernus iste, grandi pecunia, partim à regni tributis collecta, Holsatiae ducatum redemisset, Sueciam armis vicisset, Gotlandiam occupasset, Erico rege decrepito in Pomeraniam reuerso, filioque suo Iohanni vxorem accepisset, vrbeinque Romani religionis gratia visitasset, regnassetq. annis ferme triginta tribus, anno Domini M. CDXXCI. inter Pascha & Pentecosten diem clausit extremum, fortitudine, armis, & victoriis potens, misericordia, gloria, & magnificentia diues, fide vero & religione pius: sepultusque est Roschildiae, in sacello quodam à se fundato, & extructo, atq. amplissimis possessionibus donato, quod

quod ad australem plagam adhæret Basilicæ beati Lucij Martyris, cuius religiosus cultus & ornatus, sacræ quoque Diuorum reliquiæ ex vrbe Roma delatæ, quæ ibidē visuntur, restantur Christiani principis religiosam pietatem.

## IOHANNES.

CII Centesimus secundus rex IOHANNES, primus eius nominis. Hic vxore ducta nomine Christina, filia domini Ernesti Ducis Misniæ, genuit duos filios, Christiernum & Franciscum, & filiam vnā nomine Elizabetam, quæ nupsit domino Ioachimo Marchioni Brandenburgensi. Iste Iohannes cepit regnare statim ab obitu patris sui Christierni, multisque annis, nimirum triginta pene duobus, Christianè regnum Danorum moderatus est. Nam principio regni sui, sequutus consilium prophanorum procerum, decreuerat molestus esse viris Ecclesiastici ordinis: postea vero cum sentiret prophanos inueterato odio (quo laici sunt semper clericis offensi) id suasisse, sententiam decreti sui mutauit. Igitur ad finem vsq. vitæ suæ erga clerum fuit optime affectus, deprehenso procerum dolo. Quod si non tantā pietate dilexisset vniuersum clerum, veneratusque fuisset omnia Christianæ religionis sacra, multa fuissent aduersus cleri libertatem à proceribus quibusdam tentata, quæ successerunt illis sub principatu regis Christierni famosi tyranni, ac Frederici

derici primi nuper defuncti. Erat autem rex Iohannes præditus solertia, vt prudenter nobilitium quorundam insania frueretur: quos cum mira comitate sibi conciliaffet, ob mutua tamen ipsorum dissidia, ac quotidianas iniurias, quibus se inuicem afflictabant, grauitè in eos animaduertebat: quibus tamen nulla videbatur intollerabilis mulcta, quod omnia leniret incredibili affabilitate. Quod si temperasset à bello & sanguine (in quæ tamen casu magis, quam proposito inciderat) abstinuissetque ab iniqua sententia, qua decernebat contra hæredes domini Pauli Laxmand magistri equitum, fuisset sane Princeps & optimus & felicissimus. Porro cum in rebus mortalium nihil sit ab omni parte beatum, & optima quæque desiderantur verius quam habentur, non minimam laudem merentur ij, qui vitam agentes in deliciis ac opibus, huiusque caduci seculi strepitu ac pompa, multis adulatoribus, calumniatoribus, & parasitis obnoxij, mediocritatem seruare potuerunt. Huic principi bellum meditati aduersus dominum Stenonem Sturam, regni Suetiæ gubernatorem, restitit Dorothea mater, quamdiu vixit. Nouit enim prudentissima mulier, tantam esse Suetici populi perfidiam, vt quacunque ratione victi, & subiugati, non essent tamen diu fidem seruaturi. Mortua vero matre pugnavit ac vicit, vix tamen triennio possedit, rebellantibus Danis Stenone & Suan-

tone proditoribus perfidissimis, maximo in hodiernum diem vtriusque regni detrimento. Triumphauit autē anno Domini M. CDXCVII. Anno vero M. D. I. defecerunt ab illo, obfessa ac tandem capta in arce Holmensi regina Christina. Porro cum Suecorum proceres in defectionem aduersus aliquot reges, tum Daniæ, tum Suetiæ à multis excusentur; deficientibus tamen omnibus à rege Iohanne, nec apud cordatos Suecos excusationem habent, quando ipsius regnum fide plenum ab omni violentia; omnique tyrannide liberum fuerat. Quod si Waldemari; Margaretæ, Erici, Christophori, Christierni quoque secundi regna fuissent tam incruenta, tamque procul à tyrannide & violentia; adhuc fortasse illibatum trium regnorum fædus durasset, nisi populi alioquin ad seditionem nati obstitisset perfidia. vno tantum bello Ditmarsicū fuit infortunatissimus, quod gestum est anno Domini M. D. vbi superis non fauentibus feruntur periisse multi viri nobilissimi ac clarissimi. Dicebatur enim vulgo iccirco illos infelici Marte pugnasse, quod ante conscriptam militiam, conspirassent aduersus cleri & Ecclesiasticorum libertatem, quorum redditus & possessiones gloriabantur se mox occupaturos, victores bello Ditmarsienfi reuersos. Quod si feliciter successerit iis, qui sub exorto Lutheranismi iam similia moliebantur, imo longe maiora, non solum in perniciem quorundam

rundam prælatorum, sed in exitium totius cleri, studiorum, literarum, disciplinarum, omniumque sacrorum totius Christianæ religionis, posteritatis esto iudicium. Cæterum bello nauali erat fortunatior, quo frequenter triumphauit, ac præcipue aduersus Lubicenses, perpetuos Danici regni oses. Mortuus est autem peste captus in ciuitate Olburgensi, mense Februario, anno Domini M. D. XIII. Hic Princeps post fata multorum lachrimis est desideratus, etiam illorum qui viuentem auersabantur, quando iam videbant filij principatum minari cruentam tyrannidem, horrendumque & inauspicatum exitum portendere. Hic Iohannes sepultus est Ottoniæ: cuius Epitaphium habeo descriptum, cum Epitaphio vxoris Christinae.

## CHRISTIERNVS II.

Centesimus tertius rex CHRISTIERNVS secundus, Iohannis filius. Hic ex florentissimo regno post patrem accepto, reliquit tam calamitosum, vt nunquam fuerit ab orbe condito calamitosius. Erat enim famosus tyrannus, quia omnibus tyrannis superiorū seculorum maior, crudelitate, impietate, periurio, sacrilegiis, & perfidia adeo infamis, vt qui Neronem, Phalaridem & Syllam cum hoc contulerit, is semiunciam cum asse contulerit. Cæterum cum seuitia ac crudelitate sua, quam exercuit in omnibus generis homines, tam Ecclesiasticos quam

Continuatio.

politicos,

politicos, defunctis etiam non parcens, Proceres regnorum offendisset, pulsus est ab ipsis, patruo, & Lubicensibus in exilium anno Domini M. D. XXII. regni IX. in quo per decennium vixit in Germania. Reuersus cum exercitu in regnum, spe eius recuperandi, captus est, detentusque in captiuitate vsque ad mortem, quam Callenburgi opperit anno Domini M. D. LIX. XXV. Ianuarij: cum vixisset annos LXXVII, & aliquot menses, sepultus Ottoniæ iuxta patrem. Habuit viuente coniuge concubinam, filiam Sidrehti, quæ multorum malorum & bellorum in Septentrionalibus regionibus ansam præbuit. Vxor vero eius fuit Elisabetha vel Isabella filia Philippi regis Hispaniarum & Archiducis Austriæ, quæ in sæuissima tempestate Hafniam appulit anno Domini M. D. XV. IX. Aug. mortua anno Domini M. D. XXV. XIX. Ianuarij. sepulta Gandau, matrona ob pietatem in Deum aliasque virtutes laudatissima. Ex hac nati sunt Philippus, Maximilianus, ambo infantes mortui, Iohannes apud auunculum Carolum V. Imp. in Vngariam mouentem obiit Steinbruchi, Anno Domini M. D. XXXII. eodem die quo pater captus est, cum pueriles annos egressus esset, Princeps ingenio præstans. Dorothea nupta Friderico Palatino Electori, anno Domini M. D. XXXII. Christina, hæc coniunx fuit I. Francisci Sfortiæ ducis Mediolanensis, II. Francisci ducis Lotharingiæ, ducta anno Domini M. D. XLI.

FRIDE-

## FRIDERICVS I.

FRIDERICVS I. pacificus & humanus Rex DANIAE & NORWEGIAE, Dux Slesuicensis, Holsatiæ, Stormariæ, Wagriæ & Ditmarschiæ testamento patris cōstitutus: verum cum esset puer nouem annorum in conuentu Kiloniensi frater rex abolito patris testamento cum ipso diuisit has regiones, & reliquit ipsi Gottorp, Tunderen, Haderszleuen, Eile, Stenborch, Trittow, Aldenborch, Plone, Kyle, Canonicatumq. ipsi Colonia impetrauit. sed cum ad ætatem peruenisset maturiorē, considerans iniquam diuisionem à fratre factam, repetiit legatum paternum ab eodem per cōsiliarios regios, & partem regnorum iure hæreditario addi volebat: verum responso minus iucundo, additis insuper minis, Consiliarij dimissi sunt. Quieuit itaque quoad frater vixit, & eidem militauit contra Ditmarschos Anno Christi M. D. A Christiano II. patruelle eadem quæ à fratre petierat requirens, nihil impetrat. Eundem, coniungens se cum proceribus Danicis, & cum illis fædus contrahens, propter tyrannidem pellit, & curam regnorum DANIAE, NORWEGIAEQUE suscipit, anno Domini M. D. XXIII. Hafnienses se dediderunt illi ineunte anno M. D. XXIII. die trium Regum, quibus Magnum Gye Fridericus præfecit. Ipse urbem nondum ingressus est. Sed ad Comitia regni generalia proceres regni Hafniam ad  
H diem



diem Iohannis Baptistæ conuocauit. Qui excluso, ob tyrannidem & perfidiam in Suecos & Danos nobiles perpetrata, Christierno, FRIDERICVM Regem, nobilitatis priuilegia certis articulis inclusa confirmantem, vnanimi consensu elegerunt, & die VII. Augusti coronarunt. Coronatus doctrinam Ecclesiæ à D. Martino Luthero repurgatam publice in templis proponi mandat, Anno Christi M. D. XXIIII. Obiit Gottorpij Anno Christi M. D. XXXIII. III. Aprilis, sepultus Sleswigæ in choro templi Cathedralis, ornatusque Alabastrino monumento, cum vixisset annos LVI. & regnasset annos X. Vxores habuit duas. Primam Annam, filiam Iohannis Electoris & Marchionis Brandenburgici, ductam Anno Christi M. D. mortuam Anno Christi M. D. XIII. III. Maij, sepultam in Borsholmensi monasterio, sub monumento orichalcino. Ex qua sustulit filium vnum & vnā filiam, CHRISTIANVM III. Daniæ Regem, & Dorotheam I. natam anno Christi M. D. IIII. Alberti I. Borussiæ Ducis Anno M. D. XXV. vxorem: Alteram Sophiam Bugislaui X. ducis Stetiniensis in Pomerania, ductam Kilonij Anno Christi M. D. XVIIII. vbi etiam mortua est Anno Christi M. D. LXVII. ætatis LXX. & vltra, sepultaque Sleswigæ, ex qua genuit tres filios, totidemque filias: Iohannem seniore haredem Norwegiæ, ducem Sleswic, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarschiæ, nutritium Ecclesiæ

Ecclesiæ & scholarum, mortuum *δραμον* Hadersleuij Anno Christi M. D. LXXX. 2. Oct. ætatis LIX. sepultum Sleswigæ in crypta regia: Adolphum haredem Norwegiæ, ducem Slesuic &c. natum anno Christi M. D. XXVI. 26. Ian. & Fridericum natum Anno Christi M. D. XXIX. Episcopum Hildesensem & Slesuicensem, coadiutorem Bremensem, mortuum Kilonij Anno Christi M. D. LVI. XXVII. Octob. ætatis XXV. sepultum Sleswigæ in monumento auito: Elisabetham natam Anno Christi M. D. XXI. nuptam I. Anno Christi M. D. XLIII. Magno duci Megapolensi: & II. Vlrico duci Megapolensi. ex hac nata est filia vnica Sophia, vxor Friderici II. regis Daniæ, &c. Annam peste mortuam Flenburgi, sepultam Sleswigæ. Dorotheam II. nuptam anno Christi M. D. LXXII. Christophoro duci Megapolensi, mortuam Anno Christi M. D. LXXV. \* 2. Nouem. sepultam à sore Elisabetha Gustrouij in monumento Regum Obo-  
tritorum.

\* al' v III.  
Decemb.

## CHRISTIANVS III.

CHRISTIANVS III. Rex Daniæ & Norwegiæ, Gottorum & Wandalorum, Dux Slesuicæ, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarschiæ, comes Oldenburgensis & Delmenhorstensis, natus Anno Christi M. D. III. XIII. Augusti. Patre Friderico Daniæ regnum tenente, patrium ducatum administrabat; primam Ecclesiarum in-  
H 2 spectio-

CV

spektionem suscepit anno Christi M. D. XXVII. commendata rerum Ecclesiasticarum & visitationis cura præcipue Eberhardo Widenſeio Theologiæ doctore, quem Magdeburga princeps euocarat, & Hermanno Taſtio, paſtore Flensburgenſi. quibus ex nobilitate, Iohannes Ranzovius aulæ magiſter, Iohannes Reuentlow, & alij adiungebantur. Electus in Regem Daniæ à proceribus anno Christi M. D. XXXV. coronatus à Iohanne Bugenhagio Pomerano, anno Christi M. D. XXXVII. Patrualem Chriſtianum II. captivum detinuit Sonderburgi in inſula Alſen, & poſtea in arcem Kallenborch trãtulit. Obiit Anno Christi M. D. LIX. Kal. Ian. hora v. vespertina, cum vixiſſet annos LVI. regnaſſet XXIII. princeps pietate, iuſtitia, æquitate, moderatione, prudentia, ſapientia & reliquis heroicis virtutibus aliis regibus præluſcens. Depositus primum Odense in Funia, ſed à filio Roſchildam translatus, & monumento alabaſtrino ac marmoreo, cui hæc regio ſeptrientionalis ſimile non habet, honoratus. Vxor Dorothea, filia Magni ducis inferioris Saxonie, Angriæ & Weſtphaliæ, nata Anno Christi M. D. XI. 9. Julij, coronata Haſſniæ cum marito Anno Christi M. D. XXXVII. Obiit Anno Christi M. D. LXXI. VII. Octobris, veſperi hora v. ſepulta Sonderburgi, ſed poſtea Roſchildam translata & iuxta maritum humata eſt. ex qua procreavit Fridericum II. Regem Daniæ &c. Annam,

nam, coniugem I. Auguſti Electoris Saxonici & Marchionis Miſniæ &c. ductam anno Christi M. D. XLVIII. XIII. Octobris, & mortuam anno Christi M. D. LXXXV. I. Octob. Magnum ducem Hoſſatiæ, Stormariæ & Ditmarſchiæ &c. natum anno Christi M. D. XL. 14. Auguſti, Haſſniæ, qui factus eſt Epicoſopus Orpatenſis in Liuvonia, dynaſta in Ofel & Wick, duxitq. in vxorem Mariam Magni ducis Muſcouiæ ex patruſcule neptem, & mortuus eſt anno Christi M. D. LXXX. Dorotheam vxorem Wilhelmi iunioris ducis Brunſuiceniſis & Luneburgeniſis, ductam Anno Christi M. D. LXI. 12. Octobris, & Iohannem iuniorum ducem Hoſſatiæ, Stormariæ & Ditmarſchiæ &c. natum Coldingiæ Anno Christi M. D. XLV. 25. Martij, ducentem in vxorem I. Eliſabeth filiam Erneſti Ducis Brunſuiceniſis & Luneburgeniſis in Embeck & Grubenhagen, Anno Christi M. D. LXVII. Coldingiæ in Iutlandia. II. Agnem Hedwigis filiam Ioachimi Erneſti principis Anhaltini, viduam Auguſti Ducis Saxonie Electoris &c. Anno Christi M. D. LXXXVI.

## FRIDERICVS II.

FRIDERICVS II. Rex Daniæ, Norwegiæ, Gotorum, Wandalorumque, Dux Sleſuiceniſis, Hoſſatiæ, Stormariæ & Ditmarſchiæ, comes Oldenborgeniſis & Delmenhorſtenſis, natus eſt anno Christi M. D. XXXIIII. I. Julij, in Haſſenleben,

derleben, electus & coronatus Anno Christi M.D.LIX. xx. Augusti, quo anno Ditmarschios auxilio patruelium Iohannis & Adolphi &c. vicit & subiugauit. Cum Erico XIII. rege Sueciæ septennale bellum gessit, ab anno Christi M.D.LXIII. vsq. in annum Christi M.D.LXX. quo interuentu principum pax facta est inter hunc & Erici XIII. germanum fratrem Iohannem.

His tot ac tantis rebus domi forisque gestis, Fridericus rex quum totum se pacis studiis dedisset, anno M.D.LXXXVII. III. Octob. in prædio Neugardt tentari primum morbo cæpit, qui etsi iugulum statim non petierit, lenta tamen ægritudine corporis vires ita prostrauit, vt finem vitæ rex instare præsentens, totum se ad animi emigrationem compararit. Tandem igitur omnibus quæ ad morituros pertinent pie sancteque compositis, Sacramento Cænæ Dominicæ prouisus, in vera ac pia diuini nominis inuocatione firmaque in Christum fide placide constanterque, IIII. April. circa vesperam inter quartam & quintam horam, in Regia arce Anderschow sita in Selandia, annum agens enneaticum quinquagesimum quartum, quum regnum annos viginti nouem tenuisset, magno omnium bonorum matore decedit, obdormit, ac ex turbulento hoc ad cæleste regnum emigrat. Nam præter heroicam animi magnitudinem, qua tam grauißima bella gessit, felicitatem, auctoritatem, tanta pietate Deum colebat, tanto

tanto amore literas complectebatur, tanta sinceritate erga confæderatos, tanta virtute & iustitia erga cunctos antecellebat, tanta constantia Christianam Remp. asserebat, tanta in bello magnanimitas, in pace fides culta erat, vt eius morte Ecclesia & literarum studia, & Respub. magnum vulnus accepisse videri possent, si non eum filium post se reliquisset, qui paternæ virtutis æmulus, spem eius sanandi certissimam sustineret. Ipso die Paschatis Regium funus præstantissimo balsamo conditum, in sarcophagum positum, Anderschow Roschildium lugubri pompa deductum, ibidemque regio monumento v. Iunij illatum est, comitantibus Illustrissimo, illustrissimique generis Principe ac Domino D. Christiano eius nominis quarto, Daniæ Noruegiæque &c. electo Rege, cum auo suo materno illustrissimo principe ac Domino, D. Vldarico, Duce Megapolensi, Principe Wandalico, Cömite Suerinensi, Regionum Rostock & Stargardt Domino &c. aliisq. principibus ac Legatis, in quo facello & Christiernus I. proauus, & Christianus III. pater Friderici Regis, vna cum coniugibus, Christina videlicet & Dorothea (quæ ambæ ex familia Saxonica natae sunt, illa Ernesti Electoris Saxoniae, hæc Magni filia ducis inferioris Saxoniae & Westphaliae) resurrectionem ad vitam æternam expectant. Sophia vxor Friderici II. Regis Daniæ &c. cuius nuptiæ Hassniæ celebratæ sunt anno Christi M.D.LXXII. 20. Iulij,

20. Julij, & sequenti die in reginam Daniae &c. coronata est. ex qua progenuit Elisabeth anno Christi M. D. LXXII. 25. Aug. Coldingæ. Annam Sunderburgi anno Christi M. D. LXXIII. 12. Oct. Christianum Fridericum Friderichburgi, anno Christi M. D. LXXVII. 12. April. Vlricum anno Christi M. D. LXXVIII. 30. Decemb. Augustam anno Christi M. D. LXXC. 8. Aprilis. Hedewigem anno Christi M. D. LXXCI. 5. Augusti. Johannem Hadersleuij anno Christi M. D. LXXCII. 26. Julij.

CHRISTIANVS. IIII.

CVII

CHRISTIANVS. IIII. Rex Daniae, Norwegiae, Gottorum, Wandalorumque, Dux Slesuicensis, Holsatiae, Stormariae & Ditmarschiae, comes Oldenburgensis & Delmenhorstensis, natus Friderichburgi, Anno Christi M. D. LXXVII. 12. Aprilis, regnatque adhuc summa cum laude vtiliter & prudenter hoc anno à partu virginis currente M. D. XCV. Faxit aeternus pater Saluatoris & liberatoris Domini nostri Iesu Christi, vt tum ad Ecclesiae & Reipub. Christianae Salutem, tum ad familiae suae splendorem, & decus immortale propagandum, quam diutissime viuat, regnet & salutaria consilia conferat.

FINIS.

INDEX



INDEX.

<b>A</b>	<b>A.</b>	Carolus Suetiae Rex	50
Abolon Episcopus	25.34	Christina vxor Ioannis regis	52
Adolfus dux Holsatiae	50	Christophorus rex de Bauaria	44
Agapetus Pontifex Romanus	23	Coldingia	61
Agnes regina	40	Conradus imperator.	26
Alaricus	14. vice-rex Gothorum ibid.		
Albertus Rex Suetiae	45. in bello capitur ibid.	<b>D.</b>	
Albertus Marchio Brandenburgensis	40	DANIA vnde dicta	1
Albia fluuius	37	Dani viri fortissimi 3. Schaniam recuperant	42
Albina concubina regis Canuti	26	Ditmarsense bellum	54
Alemanni in Dania irrumpunt	47	Ditmarsii subiunguntur	62
Alfus	13	Dorothea vxor Christophori	49
Alfen insula	60	Dorothea vxor Wilhelmi ducis Brunsvicensis	61
Anderfchouarx	62	Drola Regnaldi filia.	13
Anglia	22. deficit à Danis 23. 28. debellatur		
Angria	60	<b>E.</b>	
Anna coniux Augusti Electoris Saxoniae	61	EBO Simonis princeps belli	36
Annonæ caritas in Dania	29	Eberhardus Widenfensis	60
Ansarius Archiepiscopus Bremensis	21	Edelradus rex Anglorum	26
Arhusiensis Episcopatus	25	Eiderstedenses	38
Ascherus primus Lyndenensis Archiepiscopus	30	Elisabeth filia Ernesti ducis Brunsvicensis	61
Afmundus Norwegiae Rex.	9. 12	Elisabeth filia regis Ioannis	52
		Ericus rex Suetiae 11. Haraldum occidit ibid. ipse interficitur	ibid.
		Ericus filius Regneri	22
		Ericus rex in Iudæam proficiscitur	30
		Ericus v. monachus fit	32
		Ericus Rex de Pomerania	44
		Ericus Rex Suetiae	35
<b>B.</b>		Ernestus Dux Misniae	52
BALDERELVD vnde dicatur	5	Eschyllus Episcopus Roschildensis	
Basilica D. Albani	29	31. Ericum regem in Iuciam pellit	
Bellum septennale inter reges Daniae & Suetiae	62	32. ipse suspenditur	33
Bicco calumniator	16	Ethonica gens	26
Biorn vnus Gigantum	9	Esthrita Chanuti Dari soror	27
Biorno filius Regneri	21	Eumundus Rex capitur 22. interficitur. inter manus eius ibid.	ibid.
Boccarus Gumarum interficit 13. Drolam vxorem ducit.	ibid.		
		<b>F.</b>	
<b>C.</b>		FOGGESVND vnde dicatur	6
CAECILIA concubina Erici regis Daniae	48	Finderorp	39
Callenburgum	56	Fœdus à Margareta iactum	46
Candens ferrum nudis manibus portatur	24	Franciscus dux Lotharingiae	56
Carolus v. capitur in bello	46	Franciscus filius regis Ioannis	42
Carolus Magnus	18. 19	Franciscus Sfortia dux Mediolanensis	56
Carolus Canutus Rex eligitur	46	Fridleuus Ruthenorum rex	39
		I	Frogerus

I N D E X.	
Frogerus Norwegiæ rex singulari certamine interficitur	7
Frogerta vxor Fridleui Funia.	60
G.	
GALLIÆ Germaniæque vrbes subigantur	22
Gaurearx	44
Gerhardus Comes interficitur	42
Germani Iutiam inuadunt	16
Godefredus filius Regneri	22
Goricus Carolo Magno bellum infert	19
Gram occiditur	2
Gratemofa	33
Gritha vxor Dan	1
Gulstus Reen Vir Nobilis	36
Gumarus Rex Suetiæ	13
Guti	5
Gutlandia	3.43
Guttronus.	21
H.	
HADERSLEBEN arx	41
Hadingus se suspendit	3
Hagbertus filiam Sygari vitiat	12
frangulatur	13
Hagenschow arx	38
Halterus Aufstali Iutiæ præficitur	13
Halwardus Suecorum Rex interficitur	4
Hammaburg 37. non procul inde duæ arces extruuntur	ibid.
Hano Pheoniæ præficitur	13
Haquinus (qui & Haco) Sygarum interficit	13
Haquinus Ring	15
Haquinus Norwagiensium Rex	44
Haraldus Alaricus ab aliis dictus	14.
verus rex Gothorum	ibid.
Haterus Starchaterum interficit	16
Hedelradus Anglorum rex	24
Heligo propriam filiam vitiat	4. seipsum interficit
ibid.	ibid.
Helsingborg arx	49
Helwig vxor Waldemari	44
Henricus comes	37
Hensfede vnde vocentur	49
Hermannus Taftius	60
Hesbernus Suare nepos Skjalmonis	33
Herha puella Siclandiæ ac ceteris	61
Daniæ prouinciis præficitur	15
Hiartuarus Sueconum rex	4
Hibernia	20.22
Hildigerus	13
Hogekoburg oppidum destruitur	3
Holfatiæ comites regnum Daniæ ambiunt	41
Homorbus & Hogrinus Suetiæ tyranni opprimuntur	7
Humblus capitur	1
Hundingus Suecorum rex	3
Hundingus Siclandiæ præficitur.	13
I.	
IACOBVS Archiepiscopus	38
Iacobus Comes Hollandiæ	40
Inguarus filius Regneri	22
Ioachimus Marchio Brandenburgensis	52
Ioannes Marchio Brandenburgensis	49
Ioannes Dux Holfatiæ	42
Ioannes Benedicti Episcopus Vpsalensis	50
Ioannes Ranzouius	60
Ioannes Reuentlow	60
Ioannes Bugenhagius	60
Isabella vxor Christierni secundi	56
Iuarus Lucke	45
Iulius Cæsar fœdus icit cum Frideluo Danorum rege	8
Iuritta filia Alfi	13
Ius hæreditarium mulieribus concessum	52
Iutiæ 6. Aquilonaris & Australis	13
Iutiæ ab Holfatis inuaditur	42
Iuti Aquilonares perfidi	29
Iutta filia ducis Saxoniarum.	37
K.	
KALLENBOCH arx	60
Kranetorp	36
Kylde fons.	3
L.	
LANGOBARDIA vnde dicta	17
Letra arx	4.10.19
Lex noua ab Haraldo edita	28
Lippia fons	18
Litteræ Waldemari regis Daniæ ad Pontificem Maximum	44
Liuania	61

Lon-

I N D E X.	
Londonia	26
Lotherus occiditur	1
Lubeca à Danis extructa.	49
M.	
MAGNVS Smeq Suetiæ Rex	41
Magnus dux Holfatiæ	61
Margareta filia regis Suetiæ	31
Margareta filia Waldemari regina Daniæ	44
Margareta Scotiæ regis vxor	50
Maria vxor Magni ducis Holfatiæ	61
N.	
NEVGART prædium	62
Nicolaus Elbo Gerhardum comitem interficit	42
Nicolaus Hallenrezfar	40
Norwegiæ reges vnde originem ducant.	12
O.	
ODENSEHE	60
Olandia	43
Olaus Rex Suetiæ Daniam occupat	22
Olburgum	55
Olo Scaniæ præficitur	13
Ordo minorum ac prædicatorum	35
Orebicus filius Regneri	22
Osel	61
Ostmarus Scaniæ præficitur	15
Otharus duxit vxorem filiam Syualdi	12
Orhini dies	5
Othonia ciuitas 29. vnde dicta	5
Otto imperator Holfatiam occupare voluit.	36
P.	
PAVLVS Laxmand magister equitum	53
Petrus Porfe	40
Pheonia	5.13.29
Philippa vxor Erici regis Daniæ	46
Philippus Rex Hispaniarum	56
Plagus nobilis Iutus regem Ericum interficit	32
Poppo diaconus 25. candens ferrum nudis manibus portauit	ibid.
Portugalliæ regis filia regi Waldemaro nubit.	36
R.	
RANDVSTIA Iutiæ ciuitas	42
Rebiza regina	35
Regnaldus interfecto Huguini ipse interficitur	ibid.
Reinftadia	36
Reliquiæ martyrum Româ delatæ	52
Rhenus	19
Ringfede	34.37
Ripis Basilica ædificatur	22
Ripensis Episcopatus	25
Rodolfus Episcopus Scarenfis	45
Roricus Aquilonari Iutiæ præficitur	13
Rofchildia ædificatur, 3. vnde dicta	ibid.
Roftochium	39
Rugia ad fidem conuertitur	34
Rutheni.	9
S.	
SAXO Grammaticus	7
Saxones tributarij efficiuntur	8.
incurfiones in Iutiam faciunt	34
Scalkus Wandaliæ Rex	4
Scania 13.27. Holfatis oppignoratur	41
Scaniam Dani recuperant	42
Scato farrapa interficitur	2
Selandia	3.13
Signe filia Sigari vitiat	13
Skialmo Candidus educator Ducis Canuti	30
Skioldus leges sanxit	2
Sleswicenfè territorium	20
Sleswicenfis Episcopatus	25
Sonderburgum	60
Sophia Waldemari coniux	34
Sophia Friderici fecundi coniunx	59
Sore arx	44
Starchaterus gigas 9. interficitur	12
Starchaterus Olonem interficit	15. ipse interficitur
Steno Stura regni Suetici gubernator	16
Steno & Suanto Danis rebellant	54
Stygotus Andreas Regni Danici Mariscalcus	39
Sueci Scaniam inuadunt	16
Suerkerus Hack rex Suetiæ	35
Suerko	12

I N D E X.

Suerko rex Suetiæ	34	constituit, veteres emendat	35
Suertingus Saxonix regulus	10	Valens imperator	14
Suetia tributaria Regi Danorum	4.	warna w	39
debellatur	11	Vbbo filius Regneri	22
Suigdagerus patrem suum interficit	3	werke	34
Supplicium Suawildæ filix regis Hel-		wesetus pugil interficitur	14
lesponti	17	westfali	18
Supplicium Haraldi	17	Vffo contra gigantes pugnat 6. etiam	
Syritha filia Siualdi.	12	Olaus dictus est	7
T.		wibergenſis ciuitas	6
<b>T</b> HEODORICVS comes de Olden-		widekindus Saxonum rex	18
borg	50	Viggo miles Roluonis Hiartuarum	
Thorilda Haldani vxor	12	interficit	4
Thyra filia Helderadi	24 34	wilhelmus Roschildenſis Episcopus	
Toko regem Haraldum interficit.	25	27. miraculum quod ei contigit,	
V.		ibid.	
<b>W</b> ALDAMARVS rex	25	wipertus filius widekindi	18
waldamarus Danis nouas leges		Vifo filius Regneri.	22

F I N I S.

E R R A T A.

Pag. 10. vers. 21. Letra. p. 12. v. 9. Hic Huguinus. p. 28. v. 5. CXX. annis.  
Erunt fortasse plura menda, sed vt spero, ea emendabit lector.

